books2ebooks.eu

BILOV, BARTHOLOMAEUS, 1573-CA 1614

# Bartolomaei Bilovii Stendalii, C. P. et P. L. Anagrammatismorum Plejades VII. Libris distinctae, illustres aliquot Germaniae Heroas ac viros Nobiles, Theologos, Iuris Consultos, Medicos, Poëtas, Philo

Erfurti
1614

elektronické knihy získáváte prostřednictvím
eBooks on Demand

digitalizaci provedla
Vědecká knihovna Olomouc

# EOD - milióny knih z katalogů knihoven více než 10 evropských zemí jsou nyní k dispozici jedním kliknutím myši.



**Děkujeme, že jste si vybrali EOD!**

V evropských knihovnách jsou uchovávány milióny historických i novověkých knih. Velká část těchto dokumentů může být nyní velmi jednoduše k dispozici v podobě elektronické knihy - eBook. Požadovaný titul si můžete kdykoli objednat prostřednictvím online katalogů knihoven zapojených do projektu EOD (eBooks on Demand – elektronické knihy na požádání). Tištěnou knihu převedeme do digitální podoby a zpřístupníme v elektronické podobě.

## Co Vám můžeme nabídnout (a proč využívat službu EOD?)

- Získáte téměř identický dojem, jako kdybyste si prohlíželi originál.
- K prohlížení elektornické knihy postačí běžný software, samozřejmostí je možnost zvětšení stran nebo jednoduchá navigace.
- Můžete si vytisknout jednotlivé strany nebo celou knihu.
- K dispozici máte vyhledávání jednotlivých slov z plného textu knihy.*
- Jednoduše zkopírujete obrázek nebo část textu a přenesete je do jiných aplikací, např. textového editoru.*

* Nelze poskytnout u každé knihy.

## Podmínky služby

Objednáním služby EOD přijímáte podmínky stanovené knihovnou, která vlastní knihu. EOD poskytuje přístup k digitalizovaným dokumentům výhradně pro osobní potřebu, komerční využití není dovoleno bez svolení vlastníka dokumentu.

- Všeobecné podmínky: http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/cz/agb.html
- Terms and Conditions in English: http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/en/agb.html
- Terms and Conditions in German: http://books2ebooks.eu/odm/html/vkol/de/agb.html

## Více o projektu

Službu EOD nabízí již 30 knihoven z více než 12 evropských zemí. Podrobné informace o projektu získáte na http://books2ebooks.eu a http://search.books2ebooks.eu

Vědecká knihovna v Olomouci

24.319

(20465.)

LVI. g. 11.

# BARPTOLEMÆI BILOVII

Stendalii, C. P. & P. L.

# ANAGRAMMATISMORUM PLEJADES

*VII. Libris diſtincta,*

Illuſtres aliqvot Germaniæ Heroas ac Viros Nobiles, Theologos, JurisConſultos, Medicos, Poëtas, Philoſophos, Philomuſos & amicos repræſentantes,

T.H.S. de Lindenbergk

*Unà cum luculentô nominum indice.*




ERFURTI

Prelô Nicolai Scmuckij, Sumtibus Auctoris, 1614.

24319

*Lectori benevolo.*

CVjusvis titulum geſtis cognoſcere? finem
Conſule: prolixo ex indice certus eris.
Plejadum prima eſt illuſtribus aucta Dynaſtis,
Nobilibusq́; viris, altera Theiologis.
Tertia ſacra viris, decorant qvos templa Themiſtos:
Qvarta refert, titulis qvos Meditrina beat.
Qvinta ſacerdotes dat claros carmine Phœbi:
Sexta, qvibus tribuit Philoſophia decus.
Septima diverſos cum laude celebrat amicos;
Qvos clarat pietas, ingenijq́; decus.

B. B. C. P.

# ILLUSTRISSIMO ET CELSISSIMO PRINCIPI AC DOMINO,

# DN. GEORGIO WILHELMO,

Marchioni Brandeburgenſi, Duci Boruſſiæ, Juliæ, Cliviæ, Montium, Sedini Pomeraniæ, Caſſubiæ, Vandaliæ, Croſnæ & Carnoviæ in Sileſiâ, Burggrafio Noribergæ, Principi Rugiæ, Comiti Marchæ & Ravenſpurgi, Domino Ravenſteinij, &c.

*Sereniſſimi ac Potentiſſimi Principis ac Domini,*

*DN. JOANNIS SIGISMUNDI S. R. I. ArchiCamer. & Elect. &c.*

FILIO PRIMOGENITO;

Domino & *Principi* ſuo clementiſſimo S.

IN lucem editurus Anagrammatiſmorum meorum Plejades, Illuſtriſſime ac Celſiſſime Princeps, Et Illuſtriſſimæ tuæ ſedis locum Veſaliæ, in Belgium co-

gitans, viſitaturus, Poëta ego, ſine Poëtæ mercimonio id facere nolui. Poëmatum autem hoc genus habetur in præſentia, Anagrammata qvæ vocamus, qvod ex accuratiori trutinatione nominis perantiqvo Poëtarum ſtudio ſententias colligimus, qvæ ſi faciles incidant, non coactæ, tortæ, ſolent præſagire aliqvid naturæ ejus, de qvo dicitur cognatum, certè nemo alius, qvàm Deus è cœlo, cujus auſpicio hoc nomen gerunt, hoc, qvidqvid eſt locutus, videre poteſt. Et hoc nomine Potentisſimi olim Ægypti & Galliarum Reges ſui ſæculi Poëtas habuerunt in carisſimis, ſi qvid boni ex nominibus eorum ominari potuerunt: qvamobrem & ſummorum virorum calculis ſtudium hoc inter divinationes recenſetur. Qvamvis autem reperiantur hodiè, qvi verum ſtudij hujus uſum negligligentes eò temeritatis prolabuntur, ut virgis ac flagris digni videantur, ſiqvidem admodum ſcurriliter bonorum virorum nomina ineptis & exſuccis ſententijs accommodant, tamen, qvibus inveniendarum ſententiarum donum præ cæteris concesſum non immeritò per ocium hoc ingenii luſu utuntur, ut divinatorio etiam hoc ſtudio, digni ſuis adficiantur laudibus. Erunt fortasſe non pauci, qvi de hiſce, qvos luci publicæ credo, Anagrammatiſmis, parùm cogitabunt, loqventurvè amicè, vel qvòd novum hoc videatur Poëmatum genus, vel qvòd ſuperſtitioſum, aut qvòd à paucis uſurpatum: nec deerunt, qvi aut arrogantiæ me aut temeritatis inſimulent hoc idem genus exercentem,

centem, qvaſi aut aliis ſuam præripere, aut certè invidere velim laudem, vel qvaſi nullum qveat inventum in lucem prodire novũ, qvod non ſtatim φιλόκαινος ego conſecter, & Simiorum more æmuler.

Principio novum inqvis hoc Poëmatum genus, laudem autem eſſe maximam vetuſtatis. Alterum ego do, alterum adimo. Laus qvippe vetuſtatis non exigua, & ne abeamus longè, veterum, ut Homeri, Maronis, Heſiodi, Flacci, Naſonis Poëmata recentioribus longè eſſe multis de cauſis anteponenda, qvis non videt? Novum autem hoc Anagrammatiſmorum inventum non eſſe, ſed vel ex vetuſtisſimis unum, cùm longè etiam ante illorum, qvos jam nominavimus, vatum tempora floruerit, (referente Peucero in divinat.) Lycophron Poëta ille & Grammaticus Chalcedonenſis teſtis eſt. Et, niſi tempus edax rerum multa abolevisſet priſcorum ſcribta, qvis qvæſo plura eorumdem exercitiorum genera in hodiernum uſq; diem exſtare neget? Qvod ſi igitur dignitas à vetuſtate proficiſcitur, causſa dicta eſt. Atqvi & iſtam vide, qvæ ab ipſo auctore proficiſcitur, dignitatem, & præſtantiam. Fuit enim Lycophron, qvod Lector non ignorat, unus ex ſeptem illis Poëtis, qvi ad Nili orã uno ferè tempore claruerunt, qvorum tanta fuit exiſtimatio, ut non tamtùm colerentur vivi, ſummisq; aucti honoribus florerent, ſed poſt mortem etiam, qvod præter cæterarum diſciplinarum cognitionem doctrinæ ſide-

rum peritisſimi extitisſent, inter aſtra crederentur relati, & qvidem conjunctim, ita ut ſeptem illis in dorſo Tauri ſtellis nomina Plejadum illi tribuerint.

Unde, ſicut hujus viri, & reliqvorum fama perennis eſt: ita etiam Anagrammatiſmos, qvos ille in precio habuit, nulla unqvam dies abolebit, ubi hoc incidit mihi peculiariter, ſingulari qvodam fato ſic evenisſe, ut poſt aliqvot ſæcula, qvibus qvaſi demortuus iſtiusmodi luſus & alto ſomno ſepultus eſt viſus, nunc tandem in publicum reducatur & exerceatur, ne ſcilicet esſet ullum præclarum doctrinæ inventum, qvod non hoc felicisſimo ingeniorum ſæculo ex pulvere fœtidisſimo, qvo omnia doctrinarum genera inter barbaros conſperſa erant, rurſus emergeret, mundumq; ac nitidum conſpiceretur.

Ad renovatores autem hujus ſtudij qvod attinet, ſciendum, qvòd primus è Germanis felicisſimè tentaverit Anagrammatographiam Poëticam NICOLAUS CLEMENS TRELÆUS Moſellanus Eq. J. C. & Poëta L. qvi integros Anagrammatum libros ſcribſisſe dicitur: qvem poſtea æmulati ſunt feliciter NICODEMUS FRISCHLINUS & HULDRICUS BUCHNERUS. Et hi fuerunt tamqvam Principes & primi inſtauratores hujus luſus Poëtici in noſtrâ Germaniâ.

Et qvomodo poteſt esſe ſuperſtitioſum hoc γύμνασμα, niſi vel certum qvemdam fortunatum & vitæ terminum infallibiliter determinare eo

qvis

qvis velit, aut adminiculo illius abuti ad contumeliam faciendam alteri, planè non video. *Sublato enim abuſu, ſervetur verus & ſalutaris rerum uſus*, & nec ignis te aduret, nec injuſtum fomitem luxus ſubminiſtrabit divitiarum copia, nec honores te inflabunt, neq; deniq; ulla erit ars, nulla facultas, qvæ non optimè apud omnes rectè judicantes audiat, inq; ſummo ſit precio & exiſtimatione. Ac ſi unicuiq; in re qvacunq; liberum ſuum permittatur judicium, erit denuò, qvi vel Rhetoricam fucum qvemdam orationis eſſe, & Dialecticam non lucem, ſed tenebras obducere veritati, ipſam deniq; Theologiam, ne per ſingulas eam ſcientias, multa continere abſurda, & neſcio, qvibus non ſcatere mendis adfirmare non erubeſcet.

Verùm ſi comprimere libet aliqvantulum iſtam cenſuræ libertatem, & æqviùs judicare, nullam hîc ſuperſtitionem, nullam inventionis novitatem advertes. Illud verò adfirmare non dubitaverim, qvòd non raro dona ingenij, vel profesſionis & muneris ratio, aut dignitas perſonæ ex ipſo Anagrammate, absq; ulla ſuperſtitione qvidem, non tamen absq; omine eluceant. Verùm igitur in multis illud, qvod Ovidius ad Maximum ſuum: *tanti menſuram nominis imples:* Item: *Conveniunt rebus nomina ſæpè ſuis.* Et illud Boceri ad Schôsſerum: *Qvod ineſt, illud nomen in omen abit.*

Sexcenta hujus rei, qvibus meam ſententiam facilè comprobare posſem, exempla adducerem, ſi non brevitati ſtuderem.

Hæc autem de omine dum cogito, aliud qvidđam inſuper ex eo ipſo conſiderandum venit: qvod, ſicut ſartam tectam haberi & coli velit legem ſuam νομοθέτης ille cœleſtis, nec addi qvidqvam ad eam permittat à qvopiam, neq; demi ab illâ, niſi incurrere velit in graviſſimam divinæ vindictæ animadverſionem: Ita Anagrammatographo videndum, ne aut litera alia, præter illas, qvæ nomini transponendo inſunt, adſumatur, aut aliqva earum, qvæ inſunt, omittatur, ſi juſtam Poëtarum Anagrammatum laude præſtantium correctionem & reprehenſionem vitare velit. Et obſecro te, an non harum rerum uſus in mentem tibi ſubinde revocabit dulciſſimam illam conſolationem, qvâ nomina noſtra in manu Jehovæ ſcribta eſſe, ita ut ne unica litera intercidat, per Prophetam ſignificat ipſa veritas. Geſtio hac de re plura. Qvis enim hunc pulcerrimum campum & latiſſimè ſe diffundentem non exſpaciaretur ulterius? ſed cohibeo me tamen, ne à ſcopo digreſſus videar longiùs.

Superſtitionem, qvam nonnulli ſuperſtitioſi rei Poëticæ cultores nobis objiciunt, nullam huic ſtudio omninò ineſſe audacter adfirmo: niſi fortè vitia perſonarum in res ipſas per ſe bonas transferri debeant. Sed hunc fortaſſe ſuperſtitionis de iſthac re ſcrupulum illis paucitas eorum, qvi huic Anagrammatographiæ ſtudio omnibus temporibus operam dederunt, incuſſit. Qvid enim refert, pauci an multi circa eandem verſentur ar-

tem?

tem? modò ſit probata & utilis. Num tu propterea veritatem odio habendam & è rebus humanis penitùs tollendam exiſtimes, odium qvod pariat, & qvod pauci ei ſint addicti? Minimè omnium. Cave robur corporis & animî, & priſcam Heroum fortitudinem deſpectui habeas, qvòd hac noſtrâ tempeſtate pauci ijs ſint prædití. Qvamqvam pendet adhuc animus, an tibi concesſurus ſim à paucis uſurpatum Anagrammatiſmum. Qvis enim unus & ſolus in re præclarâ umqvam laboravit? Esſent itaqve præter Lycophrona & alij, dubio procul, qvi, niſi temporum injuria fuisſet obſtaculo, ſua ad nos in hoc ipſo genere transmiſisſent ingenij documenta. Hodiè verò proferre posſem, ſi opus ſit, non Germanorum tantùm, ſed & Italorum, Hiſpanorum, & Gallorum maximè (qvorum lingva, ceu mollior delicatiorqve, præ cæteris eſt huic rei accommodatior) & aliorum non ita exiguo numero Poëmata in eodem genere ſcribta, divulgata, celebrata. Jam tamdem mihi, niſi planè ſtupidus & plumbeus ſis, concedes, hoc ſtudium non rarum, ſed præclarum esſe: non novum, ſed ſatis antiqvum à diverſarum nationum hominib. uſurpatum, & in hoc uſq; tempus, per DEI gratiam conſervatũ, ultrò tacito conſenſu adſtipulabere.

Jam ſi qvis eſt, qvi adeò modeſtiæ fineis præterijt, ut me temeritatis aut arrogantiæ, qvæ in me nulla eſt, inſimulare audeat: is ſuis de me ſiniſtrè conceptis arrogantiæ phantaſmatis indulgeat, qvamdiu volet & lubet, ſuoq; ſe judicio ſubtili

 (ſi dijs

(ſi dijs placet) titillet. *Ita enim qvorumdam hominum natura comparatum eſt, ut tamtùm ſua mirentur, & ſummis laudibus exornanda putent, aliorum optimè dicta & facta elato ſupercilio contemnant, qvibus nil niſi τὸ ἴδιον placet.* Mihi ad ſupra enarratas rationes accidit inſuper qvoq; inſignis rei propoſitæ utilitas, & præter jucunditatem honeſtas. Utilitas primùm, qvia qvantùm ad ingenij acumen & acrimoniam ex hoc luſu accedat, ſentiunt magno cum fœnore illi, qvi aliqvid in illum temporis & laboris contulerunt. Commendatur ſtudium Aſtronomicum, qvod præter cæteras commoditates illud etiam præſtet, ut nimirum ingenia acuat & alacriora reddat. Commendantur eodem nomine etiam luſus illiberaliores aliàs habiti, qvalis alea, qvales latrunculi, & ſimiles. Id niſi vituperas, & ſi ita animo tuo perſvaſum eſt, verum eſſe, qvod de ſtudio Aſtronomico, qvod de aleâ, qvod de latrunculis prædicatur, cum eadem ſit, nec minor hujus ſtudij utilitas, noli qvæſo illud aut aſpernari, aut ipſius cultores obtrectare. Nec illud ſilentio involvendum cenſeo, *Anagrammata cum inqvirantur, ut præ cæteris delectent & memoriæ inſerviant, non longam evolutionem, ſive explicationem reqvirere: ſed ea qvò brevior, eò melior:* Adſtipulantur huic ſententiæ & reliqvi hujus ſtudij principes.

Deinde & hoc probè obſervandum: *Verba Anagrammatiſmorum non longè in ἐξηγήσει diſtrahenda, nec à ſingulis verbis ſingula expoſitionis membra disjunctim conſtituenda, ſed conjunctiſſimè, qvantum*

*fieri*

*ſeri poteſt, qvaſi catenâ qvadam ligata, nullis, vel paucis intervenientibus voculis, collocanda & efferenda esſe: Anagramma enim in explicatione habet ſe tamqvam Propoſitio in Oratione. Sicut autem ad propoſitionem omnia totius Orationis membra tamqvam ad ſcopum & fundamentum dirigi (uti leges oratoriæ præcipiunt) debent, & collineare, qvæ ſignificantibus paucis & rotundis verbis, absq; ullo orationis ambitu, & aliarum minùs neceſſariarum particularum nexu pronuncianda eſt: Ita etiam omnes totius ſyſtematis Poëtici partes paucis verſiculis comprehenſæ ad propoſitum Anagrammatiſmum adſpirent & inclinent, qvi poſtea, eo ordine, qvo propoſitus eſt, præmisſis præmittendis, nudè & ſimpliciter, absq; ullâ verborum diſtractione & confuſione repetendus & efferendus eſt.*

Hæc de conjunctione verborum non disjungendâ; Jam de arctisſimâ Nominis & Ominis amicitiâ non diſturbandâ, & ad alienas perſonas retorqvendâ, dicemus. Anteqvàm verò meum de hac re judicium proferam, non posſum non qvosdam de commisſo errore ad tribunal ſanioris judicij vocare, ut oſtenſo errore, eorumq; opinionibus, tamqvam inutilibus ſarmentis amputatis, eò facilius in meam ſententiam adduci posſint. Sunt ſanè nonnulli, qvi, neſcio, qvo auctorum exemplo, augurium, qvod plerunq; ineſt nomini, ad aliam perſonam, ex cujus nomine Anagramma non conflatum eſt, referunt, eiq; uſum & vim illius adſcribunt. Qvod ſi hoc illis condonandum & concedendum erit, utiq; & hoc conſeqventer: Qvòd

cuili-

cuilibet alterius præclarum nominis augurium ſibi pro libitu vindicare & adſcribere liceret. Qvo permiſſo non mediocris in rebus, & in rerum notis confuſio & ἀταξία futura esſet. Qvocirca *omen aut myſterium referatur ſemper ad illam ipſam rem, vel perſonam, ex cujus nomine natum ſit. Tum perſonæ in explicandis Anagrammatis non temerè variandæ ſunt, ſed in unâ, ſive primâ, ſive ſecundâ, ſive tertiâ permanendum, niſi interrogatio interdum aliqvid adferat varietatis.* Ceterùm ſi qvis audaculus aut ſciolus mihi objiciat, cur ego præ ceteris, qvi in hoc ſtudio floruerunt, de conſcribendis Anagrammatis præcepta hæc tradere conatus ſim, is ſciat, me non temeritate qvadam, aut exiſtimationis aucupandæ causſâ, ſed reipublicæ litterariæ promovendæ ſtudio hanc in me provinciam ſuſcepisſe. Qvippe cum viderem ex myſtico illo Anagrammatum uſu tam turpem & non ferendum apud qvosdam hoc tempore abuſum factum, mearum partium esſe putavi, revocato mihi in memoriam ſanctisſimo jurejurando, qvod Pragæ Cæſ. Majeſtati de Romani Imperij dignitate & litterarum ſtudijs pro virili exornandis, præſtiti, publico aliqvo ſcripto eorum inſcitiæ ſuccurrere, & verum uſum monſtrare. Neq; paucula hæc præcepta, qvæ heîc attigi, ex meo cerebro deducta, ſed ex conſtanti & freqventi optimorum auctorum uſu derivata ſunt. *Uſus enim præcepta & regulas: Non contra præcepta uſum faciunt*, teſte Horat. de arte Poët. in princ. Jucunditate certè qvadam me adficit hoc γύμνασμα, dum

dum graviorum meditationum ſatietate captum, non parùm recreat, ſuâq; amœnitate delectat. Numnam & hoc nihil eſſe contendes? haùt opinor, niſi aut omninò ſtupens, aut in Stoici caſtra, à Muſarum viridarijs longisſimè remota te receperis.

Succedit honeſtas, qvâ viris doctrinâ & virtutibus claris exhibendam reverentiam ceterisq; benè de Rep. Eccleſiaſticâ, civili & ſcholaſticâ meritis & merentibus gratiam qvalemcunq; referendam aut certè habendam eſſe perſvadeor. Nos enim viri-juvenes in majorum præclara facta & virtutes non intueri modò, ſed & ea, qvantum in nobis, admirari, & dignis præconiis celebrare decet. Illos autem, qvi nobis coætanei ſunt, & ὁμότεχνοι, mutuis laudum encomijs inſtigare, & ad fortiter urgendum in doctrinæ & virtutis ſtadio curriculum impellere convenit, ut hac ratione ad veram illam laudem, qvæ in arduo loco ſita eſt, conatu prorſus heroico contendant & adſpirent, in qvam ſententiam eleganter Poëta canit:

*Acer & ad palmæ per ſe curſurus honores,*
*Si tamen horteris, fortiùs ibit eqvus.*

Utrumq; autem nullâ ratione, qvàm hac ipſâ, vel meliùs, vel commodiùs fieri poſſe exiſtimant mecum multi viri judicio pollentes, cum vel ipſa commendandorum nomina commendandi materiam ampliſſimam juxtà & pulcerrimam nobis, ut ſupra oſtenſum, ſæpenumerò ſubminiſtrent, ſuâq; ſponte objiciant.

Cogi-

Cogita qvæſo, adhibito candore, lector, ſi qvid arrogantiæ aut temeritatis in tale qvidpiam præſtante deprehendere poſsis. Certè, ſi id arrogantia, ſi temeritas eſt, nulla erit ars, nullum præclarum ceptum, qvod non in eadem crimina, aut certè in ſuſpicionem eorumdem, cùm ſe, tum ſuum cultorem adducat.

Neq; tamdem heîc alijs ſuam præripere laudem ſtudeo. Eſto ſanè cuiq; ſua laus integra, non enim invideo: imò tamtùm abeſt, ut invideam, ut & felices illos judicem, & qvovis modò celebrandos putem omnes eos, qvi in laude vixerunt, vel vivunt, vel etiam deinceps victuri ſunt. Interim tamen & mihi liberum relinqvi velim, ut, qvod exercitiorum genus præcipuè mihi allubeſcat, id exerceam. Nec eſt, qvod candidum lectorem hoc doceam multis. Ipſe enim per ſe non ignorat, qvomodo ſint bonorum ſcribta & conatus accipiendi. Zoilus ſi qvis futurus eſt, is non deſiſtet ſui eſſe ſimilis, ſi vel obſecrem.

Sed contrahenda mihi tamdem orationis vela ſunt, & ad Te, Illuſtrisſime ac Celſisſime Princeps, redeo, & ſub auſpicio tuo has Anagrammatiſmorum Plejades in lucem tamdem edo, easdemq; pro beneficijs mihi exhibitis, & pro meis innumeris pietatis officijs patriæ meæ Marchiæ inpoſterum præſtandis tibi dedico, offero & conſecro: ſubmiſſè & officioſè petens, ut illum eo animo, qvo à me emisſus, optimo ſcilicet, clementisſimè accipias; & ſicut orthodoxæ pietati ac devotioni, & humanio-

manioribus ſtudijs Illuſtrisſimo Principe condignis, præ multis alijs deditum te, rumor & conſtans non tamtùm vagatur fama, ſed ipſemet etiam coram vidi, ſic ſuſceptione & perluſtratione opuſculi hujus mei Poëtici qvæſo eumdem te præbeas. Facies eo, ut, ſi qvæ Poëtæ BILOVII fama vel exiſtimatio eſt, & tu, qvoad ſcribtorum meorum monumenta ſuperfuerint, in eis ſuperſis & clareſcas, & collatorum mihi ſtudiorum ac honoris te nunqvam pœniteat. ERFURTI Tyrigetarum, Menſe Majo, Anno IeſVs ChrIſtVs ſIt noſtra reDeMtIo.

Barptolemæus Bilovius
Stendalius Palæo-Marchicus, C.P. & P. L. Cæſarius, &c.

1614

Ad Cla-

*Ad Clariſſ. & Doctiſſ. Virum*

# Dn. Barptolemæum Bilovium C. P. &c.

*Sicut Apis verno depaſcens tempore flores*
*Condit in Hyblæis dulcia mella favis:*
*Aurea ſic vatum vigili monumenta labore*
*Accumulas Hortis conſpicienda tuis.*
*Hîc plaudunt Muſæ, ſurgunt hîc germina Lauri,*
*Ornavit meritâ qvæ tibi fronde comas.*
*Hîc tibi melliſluos donat RHODOMELLA liqvores,*
*Teq; novo roſeæ nectare vocis alit.*
*Hinc canis Heroas magno cum Cæſare, & illos,*
*Inclyta laus Phœbi qvos ſuper aſtra vehit.*
*Omina nominibus ſic olim fauſta Lycophron*
*Transpoſitis, Phariâ finxit in urbe, modis.*
*Perge, nec inceptis te ſors anguſta fatiget,*
*Sic patriæ largas experiêre manus.*
*Et meritò: æternùm per te decorata vigebit:*
*Mantua ceu docto clara Marone manet.*
*Perge, nec infeſtæ cures mala ſcommata Veſpæ:*
Vatibus à fatis ſurgere fama ſolet.
*Invidus & patrijs ſi qvis te mordet in oris,*
*Fecit & ignotis ſpicula tincta dolis:*
*Non magnì facias vanæ mendacia lingvæ,*
*Perfer: & in tales fulminet ira Jovis.*
*At tu Cygne tener ceptos urgeto labores,*
*Et Lauro ac auro, qvod ſatis, auctus eris.*

Andreas Wencelius S. Th. D

BAR-

# BARPTOLEMÆI BILOVI

## *PLEIADUM ANAGRAMMATISTICARUM.*

## LIBER PRIMUS.

RuDOLPHuS SECuNDuS IMPERATOR ROMANuS, VNGARIÆ, BOEMIÆ REX

*Per Anagrammatiſmum:*

MuNDI PRAESES, DIA LuX PöETARUM, AC ORBI MuRuS; ANNuE ERGO HEROS.

*TU MUNDI Præſes cum ſis, ter maxime Cæſar,*
*DIA POETARUM Lux, decus, auctor, honos;*
*AC ORBI MuRuS fidus, juſtiſſimus HEROS;*
*His ERGO cœptis annue quæſo novis.*
*Scilicet ut molli cantans Anagrammata plectro*
*Tuta ſit à rabidis noſtra Thaleja minis.*
*Qvam tua donavit celebrem mihi Gratia Laurum,*
*Tutari poſthac vindice perge manu.*
*Libera perfacili mea ſic pede carmina current,*
*Te robur Muſis ſuppeditante meis.*
*Pro qvâ tutelâ magnas tibi debeo grates,*
*Tu ſemper magni Numinis inſtar eris.*

*Te timeat, noſtram qvi Laurum deſpicit:* Ira,
Cæſaris invicti nam gravis eſſe ſolet.

## Joachimus Fridericus Marchio Brandeburgiacus.

Muſicis cura, ac urbi bona fides. Hem Dei cura rigor!

S*Um* Muſicis cura, ac bona
Urbi fides. Hem *ſangvine*
*Chriſti irrigor puriſſimo,*
Cura *en* D*ei qvi maxima.*
*Hinc laus perennis profluet,*
*Dum caſtra curo Muſica,*
*Doctosq; promovens viros,*
*Phœbi reqviro gloriam.*
*Et urbs viget me Principe,*
*Bona fide, qvæ dum viget,*
*En germinat pax, caritas,*
*Perennis ac beatitas.*
*Aſt ſum magis felicior,*
*Dum cura ſummi Numinis*
*Chriſti rigatus ſangvine,*
*In pace vitam tranſigo.*

## Johannes Sigismundus Marchio,
Hic magnum ſidus honoris.

MArchio Johannes, *cui dat victoria nomen,*
*Marchia qvo gaudet cultiſſima Principe tellus,*

*Pruſſia*

*Pruſſia qvem Dominum veneratur tota Ducalis;*
*Et qvo lætantur Duce Julia, Clivia, Montes,*
Hic *illuſtris apex, & magnum* ſidus honoris.

Chriſtianus Wilhelmus Marchio Brande-
burgenſis
Is Chriſti amor valdè charus, ingens lumen
urbibus.

*PRincipis in cujus pubens Eccleſia regno*
*Floret, & Aonidum gloria ſalva manet:*
*Hic verè felix & ab omni parte beatus*
*Dicitur, & nulla parte carere boni*
Valdè charus amor *Princeps* is *lumine* Chriſti;
Urbibus *eſt* ingens lumen, *amor populi.*
*Hoc verùm dè te, Princeps, Anagramma probatur:*
*Huic qvis enim felix omen ineſſe neget?*
*Nam te Chriſtus amat propter virtutis amorem,*
*Et patriæ patrem ſubdita turba colit.*

Georgius Wilhelmus Marchio Branden-
burgenſis.
Ah ille gregi Muſarum honor, ingens de-
cus urbibus!

*QVid tenero ſpondent Marchioni ſidera? claro*
Ah ille Muſarum gregi *nitens* honor,
Urbibus *eſt* ingens decus! *& venientibus annis*
*In pace læta ſubditos reget ſuos.*

*Creſcito Marchionum divino germen honori,*
*Confesſionis Orthodoxæ gloria.*

## Mauritius Landgravius Haſſorum Vir gratus à Muſis humanis laudor.

*Sic introductum me fecit Apollo loqventem,*
*Haſsia qvo multùm Principe gaudet humus:*
*Enthea* vir gratus *propter virtutis & artis*
*Munera ſum, Phœbi lux, Charitumq́; nitor.*
*Cui mea non nota eſt doctrina & gratia linguæ,*
*Inq́; Deum pietas laurigerasq́; Deas?*
*A teneris Phœbi ſum mitia caſtra ſeqvutus;*
*Donavit propriæ qvi mihi plectra lyræ.*
*In varias odas converti Davidis Hymnos:*
*Heſſidos ora meis plaudit ovatq́; modis.*
*Qvis proceres interq́; Duces Germanidos oræ*
*Doctior Aoniâ me rogo in arte cluet?*
*Hinc meritò* à Muſis humanis laudor, *amorq́;*;
*Qva me Patronum jure patremq́; vocant.*
*Optimus electi cœtus nutritius an non*
*Audio? Caſtalidum nutrio amoq́; chorum.*
*Gratus & humanus patriæ Princepsq́; paterq́;*
*A Muſis laudor! Laus ea vera viget.*

## Mauritius Landgravius Haſſiæ Heic in arduâ aulâ à Muſis ſurgis.

*Inclute Cattorum Princeps, & Apollo colende,*
*Celſe reformatæ Relligionis honos:*

*Cynthius*

*Cynthius ad Fuldæ ripas in flore juventæ,*
*Qvæ caneres, cernens carmina ſacra refert:*
*Cupresſus velut in vepreto;* heic arduâ in aulâ
*A Lyricis* Muſis ſurgis *in aſtra tuis.*
*Exſeruit mage ſe virtus, creſcentibus annis,*
*Altus & ingenij ſpiritus ille tui.*
*Heſperias intrat qvà Phœbus & exit ab undis,*
*Clarus es ingenio, clarus es arte ſimul.*
*Vive novenarum celebranda columna ſororum,*
*Vive meis Muſis deſtina certa. vale.*

Julius Auguſtus Dux Brunsvicenſis & Lunæburgenſis
Tun' una ſalus es tuis? Lux gregis, vivens decus in urbibus.

*O Ptime Juliades, Princeps imitate parentem,*
Una *t*uis Tun' es, Dux reverende, ſalus?
Lux gregis, *atq;* decus vivens *es* in urbibus, *omnis*
*Turba ſeqvax Chriſti te reverenter amat.*
*Nam te vix heros pietatis amantior ullus,*
*Pieridumq; ſacer, te Duce, floret honos.*

Fabian à Dona Baro
Adi orba bona ſana.

*S Irectè fuit eductus, pie Baro, qvis usqvam*
*Es rectè eductus næ, generoſe Baro.*
*Eſt ſincera fides omni tibi tradita curâ,*
*Ætherijs qvæ nos tractibus inſinuat.*

*Alma tuo à parvis pietas eſt inſita cordi,*
*Inde tibi curæ eſt Relligionis honos.*
*Inſtigans animi te provexiſſe voluptas*
*Magnifici cultum Numinis ecce rapit!*
*Ergò, clare Baro, pietatis luce coruſcans,*
*Ergò* adi, & orba *precor* fana *juvato* bona.
*Qvod facis, haut mittas, qvia votum hoc omnia fana*
*Qvæ nam Pruſſiaco ſole fruuntur, habent.*
*Crede mihi, nunqvam morieris, dum tua virtus*
*Te pietasq́ polo vitaq́ recta beat.*
*Plurima conatur pietatis dotibus expers:*
*Sudat at in vanum, proficit atq́ nihil.*

## Fabianus & Burggravius & Dominus à Dohna.

## Ah dum bonus fautor gregis, an unà dives abit?

*SUnt multi vates; Mæcenas rarus: at unus*
*Artis amatores Baro Dohnæus amat.*
Dum bonus ah fautor gregis *eſt Clariĳq́ Patronus,*
*Fallor?* an hic unà *Numine* dives abit?

## Johannes Caſimirus Comes
## Ecce is amor Muſis in Sion!

ECce is amor Muſis in Sion *monte Jehovæ,*
*Dum doctos nutrit, promovet, ornat, amat.*
*Magnus honos certè Comiti, laus magna fovere*
*Hos, qvi de Muſis nobile nomen habent.*

Qvi

QVi Muſas amat, â Muſis redamatur: Ab ipſis
Qvi venit, æterno tempore durat amor.

Auguſtus Comes de Linar
O tu lac Muſa ſugens, ride!

O Tu lac Muſâ *generoſô pectore* ſugens
*Fortunæ* ride *regna ſuperba Deæ.*
*Mens tua ſublimis ſublimia tendit ad aſtra,*
*Et varijs ſtudijs inſeris usq; caput.*
*Dotibus hinc Muſæ tibi multiplicata vigebit*
*Nobilitas, magni dum viget orbis opus.*

Chriſtophorus Rappius
Tu pris phoſphorus arci.

A *Vricomas inter ſtellas & ſidera cœli*
*Phoſphorus ætheriâ ſicut in arce micat:*
*Tu Rappi ſic es* pris *celſæ* Phoſphorus arci,
O os *Pruſſiaci pectus, ocelle Ducis,*
*Aönias etenim ſtudiosè provehis arteis,*
*Et populi qværis commoda, laude Dei.*
*Sincero memores veneraris amore Poëtas,*
*Et ſtudio doctos non ſimulante juvas.*
*Perge favere meis, velut hactenùs, oro Camœnis*
*Exſulibus; faveat ſic tibi ſancta Trias.*
*Spiritus hæc donec vitalis membra fovebit,*
*Dignus ut es, Muſis usq; colère meis.*

Fridericus, Sacri Romani Imperij Dapifer
Hæreditarius & Dominus in Waltburg.

Nonne hic mirabilis Dei gratus amor pura fide Dei pii fruitur? rarum ei artis decus.

NOnne hic mirabilis Dei pii
Gratus o Amor pura fide,
Fruitur Dei pii? *eſt* ei
Artis ſacræ rarum decus.
*Longe Dynaſtas plurimos,*
*Auctoritate, ſtemmate,*
*Gravitate, honore, nomine.*
*Hic* FRIDERICUS *fortibus,*
*Præſtat* BARO *magnatibus,*
*Virtute, famâ, & gloria*
*Phœbi, choriq; Muſici.*
*Generoſa virtus & fides*
*Ejus perennè floreat!*
*Purâq; ſerius fide*
*Cœli ſubintret gaudia.*

Friedericus à Dohna Baro
Ah cara fides robur in Deo!

STultitia eſt tantùm vani ſapientia mundi,
*Caſſâ fide verâ, notitiâq; Dei.*
Ah *nos* cara fides, *qvæ celſis inſeret aſtris,*
In *vivente* Deo *nobile* robur *habet!*
*Qva te præmultis heroibus atq; Monarchis*
*Enthea donavit gratia, celſe Baro.*
*Virtutum donis & præditus arte refulges,*
*Illuſtri generis nobilitate ſatus.*

Muncta

*Munera magna qvidem ſunt hæc: meliore triumphas*
*Qvòd fidei normâ, gloria major erit.*
*Vive diu fauſtè, ſidus præluſtre Baronum;*
*Conturbetq́ tuam nulla procella domum.*

Wedigo Reimar Gans
Divinus à grege amor.

P*Ublica non tantùm mihi res, ſchola, templaq́ curæ*
*Sunt etiam & veræ Relligionis honos.*
*Hinc* Divinus amor *Muſarum fautor & altor,*
A grege *Chriſtiadum Pieridumq́ choro.*

Erneſtus Ludovicus de Putbus Baro
Tu bonus, tu decus ludo urbis præes.

T*U* Bonus, *ô præſtans animi Baro dotibus,* Urbis
*Tu* Decus *&* Ludo *non ſine laude* Præes.
*Sic tua te virtus doctrinaq́ tollit in aſtra,*
*Orbis & immenſi gloria replet opus.*
*Macte animi Baro magne: tibi ſapientibus auctam*
*Conſilijs mentem ſuggerat ipſe Deus.*

Volcmarus Volfgangus de Putbus
Dum tu bonus, gratus; plus ova.

D*Um commiſſa geris Viadrini ſceptra lycéi,*
*Stirpis & ingenij dotibus aucte Baro.*
*Ut* Chriſto proſis, oh *Muſis* annue, *pulſa*
*Et fac barbaries hinc procul omnis eat.*
*Ut posſint pietas & docta Minerva foveri,*
*Et ſalvâ Muſas pace caterva colat.*

*Hinc fœcunda ſeges ſtudiorum creſcet in urbe,*
*Virgilij Romæ tempore qvalis erat.*
*Sic vitæ molli traducas tempora curſu,*
*Et faveant ſceptris Numina ſancta tuis.*

## Gotefridus à Kitlitz

*Græcis litteris, K in C, & Z in S, converſis.*

## Jo credit, ſatis fulget!

K*Itlitius genere & virtute illuſtrior Heros,*
*Qvi de pace Dei nobile nomen habet:*
Credit io *rectè, nec eum malè faſcinat error;*
Fulget *& illuſtri ſtemmate* Baro ſatis!
*Virtutem qvando generi ſuperaddit avito,*
*Eximium merito nominis omen habet.*

## Chriſtophorus à Kietlitz Baro

*Litteris Græcis K in C, & Z in S mutatis*

## Iſte labor Chriſto carus fiet.

S*Is licet illuſtri natus de ſtirpe Baronum:*
*Non tamen Aoniæ deſpicis artis opus.*
*Ignea nam fulget generoſo in pectore virtus,*
*Qvæ carum multis te facit eſſe viris.*
*Jungere cui gaudes pietatis ſemina & artis;*
*Scilicet in Clario miles es acer agro.*
*Par tibi nemo fuit ſtudio pietatis & artis,*
*Me duce ad Inſtréæ pulcra theatra ſcholæ.*
*Inde merebaris cunctorum jure favorem;*
*Et te tutata eſt dextra benigna Dei.*

*Virtutes*

*Virtutesq; tuas Academia docta probavit,*
*Qvam cultus Clarijs Bregela cingit aqvis.*
*Nunc tibi mens fervet Germana inviſere regna,*
*Stant ubi Palladio Clara Lycéa choro.*
*Ex ſtudijs capias ut famam laude perennem,*
*Redditus ad qvodvis comtus & aptus opus.*
Iſte labor Chriſto carus, *Baro inclute fiet,*
*Et patriæ poteris utilis eſſe tuæ.*
*Det Deus ingenio vireis ac robora menti;*
*Teq; ſinat longùm vivere: cuncta dedit.*

## Eraſmus Junior à Starhemberg Baro
## An heros ero? mirè ſurgam ab artibus.

*SUm genere illuſtris; virtus, doctrina, fidesq;*
*Illuſtrant generis ſtemmata priſca mei.*
*Fallor?* An *altus* ero *virtutum dotibus* heros,
*Legibus & juvenis clara lycèa regam?*
*Aoniis* mirè *decoratus* ab artibus *olim*
*Et vegeti* ſurgam *dotibus ingenij.*

## Joannes Turnovius
## In uno Jeſu ornatus.

*MAgna tibi ingenij conceſſit munera Phœbus,*
Turnovi, *Clarij lux celebranda chori.*
*Namq; tibi ad cœlum, invidiâ mirante, levato*
*Non habuit, nec habet terra Polona parem.*
*Majus at eſt donum, qvod* Jeſu ornatus in uno
*In verâ celebras Numina ſancta fide.*

*Sarma-*

*Sarmaticæ decus & Doctor celeberrimus oræ*
*Chriſticolis rectam pandis ad aſtra viam.*
*Plura licet qvondam Chriſti pro nomine paſſus,*
*Dum tua Vulcano Bibliotheca perit:*
*Frangere te ſortis tamen haùt potuêre procellæ;*
*In ſanâ conſtans Relligione manes.*
*Hinc tibi ſurgit honos terris; ſed gloria cœlis*
*Major erit, ſummæ conſcia lætitiæ.*

Thomas Cneſebeccius
Ecce hic bonus eſt mas!

*JUdiciŋ rectâ qvem luce beavit acumen,*
*Et puræ niveus Relligionis amor,*
*Qviq́; ſacras doctus,* Gneſebeci, *provehit arteis:*
Mas bonus ecce hic eſt, *cenſor Apollo refert!*

Conradus ab Eichſted
Decus candoris habet.

*SI qvid habere ſolent operoſa Anagrammata veri*
*Ominis, hoc an non omen habere poteſt?*
*Caſtalidum cultor, Cunradus, amorq́; Themiſtos,*
*Eichſtediæ fulgens nobilitatis apex:*
*Dulce* Decus Candoris habet, *qvi fomes amoris:*
*Qvo langvente perit fœdus amicitiæ.*

Severinus Sbalits-Bonar
Es bonus in rebus, ars alit.

*NObilitatis apex & gloria magna Polonæ,*
*O Sbalic-bonaræ lux generoſa domus:*

Is bonus in rebus *cunctis, humanus, & expers*
*Fraudis, amans veri, juſtitiæq; decus.*
*Qvæ ratio? dulci paſcunt te nectare Muſæ,*
Ars ait, *& mentem format honore tuam.*
*Omnibus hinc gratus vivis Muſisq; Deoq;*
*Et pia turba tuâ gaudet amicitia.*
*Qvi non ingenij dotes collaudet ametq;,*
*Mentis & ingenuæ munera rara tuæ:*
*Huic nihil humanæ bonitatis ineſſe putârim,*
*Nec Clario pectus mite rigâſſe lacu.*
*Candide flos juvenum, ſic rebus in omnibus uſq;*
*Te præſta, ut gratum te bonus omnis amet.*
*Qvodq; facis, claris ſic perge favere Poëtis,*
*Qvi poterunt nomen perpetuare tuum.*
Cetera dispereunt dubijs obnoxia fatis:
Qvam tribuunt Muſæ, fama perennis erit.

## Johannes von Tetenborn.
## Annon orbe nitens ovet?

J*Oannes vatum, ſacriq; corona Palati,*
*Tetenbornææ gloria prima domus;*
*Qvem Cæſar, Princeps, qvem Jova coronat honore,*
*Qvem Proceres propter munera mentis amant.*
*Artibus & lingvis cunis decoratus ab ipſis*
*Aonio plenum Numine pectus habet.*
*Adſiduè volvit numeroſa volumina Legum,*
*Immenſum Juris dum ſitit Oceanum.*
*Cum tantis vigeat donis inſtructus, in amplo*
Annon orbe nitens *laude potenter* ovet?

Johannes Georgius à Salveld
Sol ingenio ſurge, Suadâ ale.

QVi Latiæ & variæ calles diſcrimina linguæ,
Cuiq; hominum mores diſcere cura fuit.
Nobilitatis apex à Salveld, Jane Georgi;
Nunc rapuit pectus grata Geneva tuum.
Sol ſurge ingenio, mellitâ ale pectora Suadâ;
Sis patriæ ingenij nobilitate decus;

David von Baſsevvitz
Bonus Deus viſa audit.

CUncta bonus cernit Deus, audit viſa creata;
Nil illum, toto qvod ſit in orbe, latet.

Robertus Camerohnius
Tu heros Caménis robur.

TU Robur Clarijs heros, Roberte, Caménis:
Per te nobilius Scotia nomen habet.
Robur habet, qvodcunq; facis, meditaris & urges:
Hinc grave Roberti nomen & omen habes.

Eccardus von Uſedum
Unus Deo carum decus.

VIvis amice, Deo; varias hinc tutus ad oras
Tendis, & optatæ munera ſortis habes.
Unus es ipſe Deo carum decus, atq; Deabus
Caſtalijs, qvarum ſemper amore flagras.
Vive Deo, ſtudijsq; tuis: nam vivere mundo
Mors eſt: in Chriſto vita ſalusq; datur.

Stephanus Lœitſius
Ah pius es! ut ſol nites.

*NObilium lampas, tellus qvos Pruſſica jactat,*
*Gloria amicitiæ non moritura meæ:*
Ah pius es, ſol ut *fulgore coruſcat Olympo:*
*In terris niveâ ſic pietate* nites.

Heinricus à Weinbeer
Chare vir, en benè vivis!

*NON fruſtra vivit, qvisqvis benè vivit & ornat*
*Ingenij multos eloqvijq́; bonis.*
Chare vir, en benè vivis, *honos & fama Themiſtos!*
*Dum patriam decoras arte fideq́; tuam.*
*Bregela te meritò ſummo dignatur honore;*
*Pruſſica conſilijs utitur aula tuis.*
*Hinc Atlanticis ſe laus tua finibus æqvat:*
*Gloriaq́; es generis non moritura tui.*
Ars eſt magna, Deo benè vivere: maxima, Chriſto
Poſſe mori: vitam, qvi benè vixit, habet.

Abrahamus à Bellino
In arâ bellabo Muſâ.

*HÆc benè conjurant, & in unâ ſede qvieſcunt,*
*Orta polo pietas orta Minerva Deo.*
*Altera & alterius ſocio pro fœdere amoris,*
*Si non promiſſam poſcat & oret opem.*
*Utraq; diſpereunt: Ars nam pietate revulſa,*
*Eſt virus, pietas arte ſed orba, levis.*

Ergo

Ergò pro Muſa, maneat pietatis in ara,
Bellabo, mea dum robore dextra viget.
Sic minimè dubito, ſtipendia larga laborum,
Præmia militiæ qvin ab utraq; feram.

### Joannes Bourg
### Urge bona Sion.

DIvitijs inhiant alij ſine laude caducis,
Qvæ nullum ſolidæ frugis aroma ferunt.
Præclare ſana de Relligione mereris,
Bourgiadum generis nobilioris apex.
Qvod facis, egregijs te laudibus infer Olympo,
Et bona ſic urge non peritura Sion.

### Martinus à Wallenrod
### Lumen artis unà laudor.

NOn adeò multos generoſa Boruſſia nutrit,
Qvi genus antiqvâ nobilitate trahunt;
Et ſimul Aonijs tribuerunt tempora Muſis,
Repleti Clario pectora tota lacu.
Tu fulges inter doctos, ceu nobile ſidus,
Wallenrodææ gloria prima domus.
Artis, ut & generis de nobilitate triumphas,
Namq; ſonat bellè ſic Anagramma tuum.
Una laudor ovans artis prænobile lumen!
In Chriſti vergat laus tua tota decus.
Protulit ecce tui, Muſarum fautor & altor,
Nominis egregium Cynthius omen. have!

Marti-

Martinus à Wallenrod
Tu Lumen laudaris, orna.

TU qvoq; doctorum laudaris *Apolline* lumen,
*Wallenrodææ nobilitatis apex.*
*Doctus enim doctas venerari amore Camænas,*
*Et tibi de puro gurgite metra fluunt.*
*E Muſis qvoniam laus eſt tibi parta, viciſſim,*
Orna *Pierias, qvâ potes arte, Deas;*
*Nempe favore tuo qvo multùm provehis arteis,*
*Cum tua Muſarum pectora tangit amor.*
*Sic Deus & Muſæ te rurſus honoribus almæ*
*Ornabunt, lumen nobilitatis eris.*

*AL.*

Martinus à Wallenrod
Numen laudor, laus arti.

T*Errarum Numen,* Muſis *ego* laudor *amicis,*
Arti *ſacre* laus *enthea!*
*Illius qvoniam cultores diligo, honoro,*
*Doctosq; nutrio viros.*
*Pruſſiacæ Numen terræ lumenq; vocabor,*
*Muſisq; laus & artibus;*
*Dum dabit hoſpitium facundis Bregela Muſis,*
*Regnator undarum potens.*

Otto Wilhelm à Berleps
Imò totus perbellus vale.

G*Loria* MAURICII *celeberrima Principis Haſſi,*
OTTO, *perantiqvæ nobilitatis honos;*

*Nobiliora tuo geſtas in pectore dona,*
*Qveis ſuperas generis ſtemmata priſca tui.*
*Qveis non mira tuæ nota eſt facundia lingvæ?*
*Teutona non tantùm te veneratur humus:*
*Sed qvoq; condignis te laudibus extera tollit*
*Natio, & ingenium ſuſpicit usq; tuum.*
*Aurea qvidqvid habent veterum monumenta Sophorū,*
*Ingesſit cerebro Pallas id omne tuo.*
*Qvot calles lingvas! es aſylum nobile juris;*
*Provehis & Clarij Numina caſta chori.*
*Inſigni ſolidæ pietatis laude coruſcas,*
*Et capis à ſanâ Relligione decus.*
*Macte tuis laudate Heros virtutibus!* imò
Perbellus totus *laudis honore* vale.

Nicolaus de Hanſtein.
Anne hic Sol natus Dei!
In Helicone natus das.

C*Um* Lanius *nobis, qvem laurea ſilva coronat,*
*Offerret Muſæ metra legenda tuæ;*
*Hoc Anagramma tui mihi nominis augur Apollo*
*Dictavit, citharæ qvi tibi plectra dedit.*
Anne hic *nobilium* Sol, *doctorumq; virorum,*
*Eſt* natus, *ſummo dignus honore* Dei?
*Nobilium non eſt te,* Nicole, *doctior alter;*
In *medio* natus das Helicone *melos.*

Juſtus

Juſtus à Biſmarc
Carus abit Muſis.

NObilium, *Veteris fulget qveis Marchidos ora*
*Gloria, Biſmarcæ lux peramœna domus:*
*Cum tibi Friſiacas mens eſſet linqvere Muſas,*
*Applauſit ceptis turba novena tuis:*
Carus abit Juſtus Muſis, *& Apolline cinctus;*
*In patrium redeat non ſine laude ſolum.*

Thomas Cneſebecius
Ecce hic bonus eſt mas!

DUm *bonus es, Thoma, legis & veſtigia patris*
*Sancta tui, hoc etiam in te Metagramma qvadrat:*
Ecce bonus mas eſt hic, *qvi virtutis & artis*
*Gloria ſumma ſolo ſurget bonosq; polo.*

Hempo Cneſebecius
Ecce ſimne Phœbus?

D*igna loqver Phœbo ecce ſacri culti dum carminis (auctor,)*
Simne *Hempo* Phœbus, *dic mihi Muſa, tuus?*

Levinus à Cneſebec
A cunis benè eluces!

CNeſbeciana *Charis* Levine, *polite Poëta,*
*Flos juvenum, & veræ nobilitatis honos:*
A cunis benè *virtutum diademate vivo*
Eluces, *ſonat ut bellè Anagramma tuum.*
*Et verè: qvoniam te nutrivêre Camenæ,*
*Ac Charites, Clario nectare & Ambroſiâ.*

*Svada dedit lingvam, dedit arteis Dædala Pallas,*
*Effinxit mores Gratia viva tuos.*
*Emicat ex vultu veneranda modeſtia; vivit*
*Corporis in pulcrâ mens generoſa domo,*
*Qvod magis eſt, caſta de Relligione tiumphas;*
*Subdola finus in te non habet ulla locum.*
*Fulgida nobilium lampas, qveis ora vetuſtæ*
*Marchidos exultat, lumine creſce Dei.*

Joachimus Valentinus ab Alvenſchleben.
En hic ille humanus ſanè ac bonus valebit!

N*Obilium* Joachimus *honos qvos Marchia clarat,*
*Alvenſchlebiacæ ſtella renata domus.*
En hic humanus ſanè ac bonus ille valebit
*Artibus, & celſi dotibus ingenij!*
*Floreat, ac genti cumulum ſuperaddat honorum.*
*Jhova det ætatis robur, & ingenio.*

Paulus Meliſſus
Sis Muſæ Paulus.

A*Rx meritis noſtri ſummi reſeranda Tonantis,*
*Qvæ multo profert fœnore ſola fides.*
*Nam nos ſola fides operum fœcunda bonarum*
*Acceptos cœli civibus eſſe facit.*
*Ergo Deo gratum cùm ſit ſuccurrere rebus*
*Actus illorum, qvos pia caſtra juvant.*
Hui vir in arce cibo *prælargo munere* Muſas
*Qvæ ſibi de vivo Cæſare nomen habet.*
*Exorna Lauru juvenum cava timpora, qvorum*
*Arte polita ſatis cognita vena mihi.*

*Cæſario ut poſthac armati robore, Momi*
*Atq; tuas frangant, turgida Veſpa, minas.*
Scilicet ingenij præſtantem laude Poëtam
Laurea non tantùm, culta ſed arma decent,
*Qvâ Jovæ laudes ferat, hoſti tela ſed artis*
*Inferat, hinc armis victor ut eſſe qveat.*

*AL.*

Jacobus Chimarheus
Hui arce cibo Muſas.

*DE ſole ſicut ſplendido*
*Aurora non revellitur,*
*Præmittitur, cui ſingulis*
*Diebus, ex aqvis maris*
*Qvando caput roſeum levat;*
O ſic eas clarum jubar!
*Promotor optatiſſime,*
*Patrone jucundiſſime,*
*Chriſtum ante Patris Filium*
*Adfixus es cui vinculo*
*Fidei beatæ firmiter,*
*Qvod diſtrahet non temporis*
*Longinqvitas, nec invidi*
*Qvod frangit ira Diaboli,*
*Beatus ô qvi fœdere*
*Conjunctus eſt tali Deo.*

Joannes Henocjus
I Noha, vince ſenes.

Joannes Hencejus
I Noha vince ſenes.

SI qvi ſunt, vita qvi tempora longa merentur,
Hi ſunt, Aönidum qvos tenet arctus amor.
Horum tu primus, Mæcenas inclute, pulſas
Qvi Muſas relevas ex Helicone meas.
Qvas tibi pro largo referam nunc munere grates?
Sors mea ſed grates non retuliſſe ſinit.
Qvocircà hoc Anagramma tui qvod nominis offert,
Pergrati votum muneris inſtar habe.
I Noha vince ſenes ſenio & virtute: fovendo
Pieridum ſocios I Noha vince ſenes.
Ille velut vita qvampturima ſecula vidit,
Sic ejus ſupera proſperitate dies.

Thomas Treterus
Tu hoſtem terreas.

UNdiq; barbaries tentat turbare Camœnas,
Illisq; ſedes deditas.
Tu, qvi Pieridum lux es, vatumq; corona,
Hoſtem, Tretere, terreas
Ingenij fulgore tui donisq; ſuperbis:
Sic hoſte te dabit fugam.

Hermanus Wejerus
Vir verè humanus es.

TU licet à noſtris Phœbi, Wejere, ſacerdos,
Pectora diverſa relligione geras:
Huma-

Humanus verè *tamen es vir, & omnibus æqvè,*
*Sint modò judicio candidiore faves.*
*Hæc mihi præ reliqvis ſincerâ mente* Stobæus
*Rettulit, atq; tuos ſvaſit adirè lareis.*
*Hoc fretus monitore, tibi hoc Anagramma dicare*
*Non dubito, placidâ qvod rogo fronte legas.*
*Muſei lectum pagellas inter inaneis,*
*Extremò ponas, Myſta colende, loco.*

Jonas Schlichtius
Hic ſol à cunis ſit.

*Ergò decus Charitum, gentis laus magna Polonæ,*
*Æternis animi creſcere perge bonis.*
*Naſcentem cum te Clario ſub monte videret,*
*Laus juvenum,* Jona, *Calliopéa canit:*
Hic Sol à cunis *vatum* ſit *amabilis ipſis;*
*Gaudebit nato terra Polona ſuo.*
*Augurium probat eventus: juvenilibus annis*
*Egregijs clares dotibus ingenij.*
*Nam veluti celſas ultrò contendit ad auras*
*Flamma, nec occultis vult reſidere locis:*
*Sic animi vigor, ingenijq; recondita virtus,*
*Auricomum promit lucis oborta jubar.*
*Nobilis æternùm virtus tua floreat, atq;*
*Nomen ab interitu non patiatur edi.*

FINIS.

# BARPTOLEMÆI BILOVI

*Anagrammatiſmorum*

LIBER SECUNDUS.

Chriſtophorus Pelargus
Phosphorus Clarè ſurgit.

*Hoſphorus ut rutilo clarè conſurgit Olympo,*
*Denotat & Clarum non procul eſſe diem.*
*Marchiacis* clarè *ſic* ſurgit Phosphorus *oris,*
*Nominis & clarâ laude Pelargus orat.*

Raphael Eglinus Iconius
En hic pius! en laus, gloria!

*Iratus dotes pietatis & artis* Eglini,
*Cynthius effingens hoc Anagramma refert:*
En pius hic! en laus *ingens comitatur* Eglinum.
Gloriaq; *extremò non moritura die.*
*Vive diu, pietatis honos, artisq; columna,*
*Gloria terricolûm, gloria cœlicolûm.*

Ludovicus Crocius
Vir diò ſucco lucus.

*Xhibet innumeros ut florum lucus odores;*
*Ex quibus in vitæ commoda ſuccus abit:*
Sic dio ſucco, *quem purum dogma Jehovæ*
*Suppeditat;* Lucus, vir *Reverende, vires.*

Friede-

Friedericus Balduinus
Fidelis, unde carus urbi.

P*Reco Dei & Doctor, Balduine,* fidelis *es,* urbi
Unde *Viteberga* carus, *es atq; decus.*

Andreas VVentzelius
In arte, venâ dius zelus.

*AL.*

Andreas VVencelius
Vernans vide ſecula.

L*Audati celebrat te nominis omen:* in arte,
Et venâ dius zelus *ubiq; micat.*
*Opto* vide vernans *qvamplurima* ſecula, *ſanctum*
*Nomen ut in Viadri floreat urbe Dei.*

Joachimus Piſtorius
O pius ac mirus ſitio.

O Pius ac mirus ſitio *inclutæ gaudia vitæ*
*Alterius, Chriſtum qvem foveo,* ſitio!
*Sum pius ac mirus donis cœleſtibus auræ*
*Divinæ, miro pectus amore calet.*
*Iſraëlis aqvas mihi porrige Chriſte ſalubris,*
*Illius vivo fonte repelle ſitim.*
*Si te, Chriſte, meo fontem ſub pectore ſervo,*
*Cuncta habeo, & mundi gaudia curo nihil.*

Jacobus Ebertus
Cibus ero beatus.
O ſic urbe beatus!

*TE qvia, Chriſte, colo, tua dogmata ſancta profeſſus,*
*Me paſcens verbo vivificante cibas.*
*Hinc rurſus paſcens cœleſti nectare menteis,*
*En* cibus *æterna luce* beatus ero!
O ſic *mente tibi confidens* urbe beatus
*Percipiam miris gaudia vera bonis!*

Paulus Weis
Vives plauſu.

*CAndida candoris finxit tibi nobile nomen*
*Muſa: etenim candor nobile pectus habet.*
*Candida metra canis citharâ Latiâ, atq; Pelasgâ:*
*Hinc* vives plauſu; *nec morietur honos.*

Samuel Marcus
Muſarum lac es.

MUſarum lac es, *Muſis nutritus ab ipſis,*
*Dum tincta Aönio carmina lacte facis.*

Bartholemæus Ratemanus
Hebræus Muſam late ornat.

*NOn Sophiam tantùm callet, lingvamq; Pelasgam,*
*Svaviter Hebræo ſed valet ore loqvi.*
Hebræus latè Muſam *paramabilis* ornat,
*Et primas monſtrat cognitionis opes.*
*Hinc ipſi qvoq; major honos & gloria ſurgit,*
*Inq; beatorum ſede beatus erit.*

Barpto-

Bartholomæus Ceccermannus
Oh terſus canam carmen, lucebo!

NOn tantùm Sophiæ; ſed ſum qvoq; gloria vatum,
Oh terſus carmen non ſine laude canam.
Dum Salvatoris mihi vera eſt gloria curæ,
Lucebo, ſol ut lucet in axe poli.

Bartholomæus Ceccermanus
E Muſa certè clarus manebo.

E Muſa certè clarus florente manebo,
Dum clarum Muſæ carmine nomen erit.

Joannes Lampadius
Sones; divina palma.

JAne, cui vivax effinxit amabile nomen
Lampas, & Hiſtorici qvi benè munus obit:
Pura ſones veri ſcriptis ac voce Tonantis
Dogmata: divina eſt palma parata tibi.

Sabellus Cemenitius
Labes & ſcelus minui.

PRincipis officium gladio punire malignos,
Innocuis ut ſit pax & amica ſalus:
Sed Myſtæ verbis, enſis cui nulla poteſtas,
Crimina commiſſi carpere nulla gregis.
Scilicet ut vitijs Eccleſia ſancta repulſis
Perplaceat Domino Sponſa beata ſuo.
Ad meliora vocet, rapuit qvos ardor & error,
Et vitæ monſtret proſperioris iter.
Muneris has partes peragit qvi Myſta, fidelis
Suſtinet in terris munia ſancta Dei.

*Qvi minimè taxat, ſed acervat fœda tacendo*
*Crimina, is eſt populo pernicioſa lues.*
*Non ego ſic:* labes minui, & ſcelus *omne popelli,*
*Demere qvæ nullus, tu niſi Chriſte, potes.*
*Hinc mihi qvantumvis minuatur gratia vulgi,*
*Nil curo: Jovæ gratia namq; beat.*

Daniel Schallerius
An calles? re diluis.

AN calles *hominum tantùm nocitura saluti?*
*Sed calles &* re diluis *omne malum.*
*Scilicet ut morbos tollas medicamine, labes*
*Qvam leges monſtrant, eſt removenda prius.*

Caſpar Ulricus
Is purus ac clarus.

PUrus is ac clarus *vates, verbiq; Profeſſor;*
*Illius at laudes fama loqvetur anus.*

Conradus Reinhardus
Durans candor vires.

NUlla fides mundo reſtat, ſunt omnia fraudes,
*Faſtus, avarities, regnat & omne malum.*
*Relligionis amor nullus, dilectio nulla eſt:*
*Eſt homini Dæmon ſæpè malignus homo.*
*Judicio meliore vales, ſate ſidere fauſto;*
*Qvem ſuperûm virtus addidit ordinibus.*
*Inſigni pietate fides tua corda venuſtat:*
*Tu* durans candor, *vir Reverende,* vires.

*Dent ſuperi, qvæcunq; tuo candore mereris,*
*Ut tua ſit multis Sparta referta bonis.*
*Vive ſoli decus, Arctopolin pete lætus, & orna*
*Vive diu, Muſis fida columna meis.*

Georgius Reinmanus
Io vir magnus, regens!

HIc vir io magnus *doctrinæ laude coruſcat,*
*Urbs qvâ fraxineum tollit in aſtra caput.*
*Nempè* regens *verbo Jovæ cum laude popellum,*
*Stella reformatæ Relligionis ovat.*

Joachimus VVendlandius
In Deo ſalvus diu vincam.

Q*Viſq; putativus Chriſti mihi cultor honorem*
*Invideat; mundus me premat, atq; Satan*
*In vivente* Deo ſalvus, *Chriſtiq; redemtus*
*Morte* diu vincam *tela inimica fide.*

*FINIS.*

# BARPTOLEMÆI BILOVI

*Anagrammatiſmorum*

LIBER TERTIUS.

Hermannus Vultejus
Ah tu unus lumen eris!

*IN Pindo cum te natum vidiſſet Apollo,*
*Pierias inter, clare Themiſta, roſas;*
*Sic ait: Aſtrææ, Muſisq́; dicate novenis,*
Ah tu *felici ſidere creſce puer!*
Unus eris lumen *noſtrum, creſcentibus annis:*
*Fallor? an Aſtrææ es lumen, & Aonidum?*

*A L.*

Hermannus Vultejus
Humanus verſu lenit

*IMbuit eloqvij vivo qvem flumine Svada*
*Monſtravit geminum jus cui ſacra Dice;*
*Lenis &* humanus Vultejus *ab arte vigeſcit,*
*Dignus amore hominum, dignus amore Dei.*
Humanus verſu *mortalia pectora* lenit;
*Candidior Muſa eſt candidiore Cycno.*
*Floreat humanus multos Vultejus in annos,*
*Qvem celebrare ſatis parva Camena neqvit.*

Johannes Gœddeus
Ingens à Deo dos; have.

*A ſum.*

A *Summo*, Gœddee, Deo dos *mittitur* ingens;
*Innumeris animi dotibus auctus* have!

Heinricus Petræus
Percharus Jeſu nite.

PRincipibus doctisq; viris placuiſſe, putatur
Gloria; ſed major laus, placuiſſe Deo.
*Te propter ſacra dona colunt hominesq; dijq;;*
*Laus* Petræe, *ſacri non moritura lacus.*
*Vive Deo dilecte, viris dilecte politis:*
Percharus Jeſu *tempora longa* nite.

Heinricus Porſius
Is corpus virens.

POrſius *Aſtrææ, Phœbi ſuperavit & arcis*
*Culmina, dum ſtudijs gnaviter incubuit.*
*Magnus* is *idcircò Phœbi Themidosq; ſacerdos*
Ecce virens *Lauri munere* corpus *habet.*
*Qvod Themis & Phœbus tibi*, Porſi *clare, dederunt,*
*Perpetuo vivax tempore nomen erit.*

Samuel Radeſchinus
En Muſâ ſacer ludis!

EN Muſa, Radſchine, ſacer, *peramabile* ludis
*Carmen, & illuſtris nomen honoris habes!*

Dominicus Baudius
Muſâ bonus, dic diu.

ARs eſt, poſſe bonos ex tẽpore fundere verſus;
Vatibus id paucis munus habere datum eſt.

*Hæc*

*Hæc conceſſa tibi Phœbeo munere virtus:*
I Muſa bonus, & dic *bona metra* diu.

Chriſtoferus Rauchius
Vir Chriſto fuſè charus.

G*Rande jubar Themidos,* Rauchi, *Schwartzburgi-*
*Conſilijs verè nobilis aula viget:* *(cæ cujus*
*Nominis hoc Anagramma tui cape fronte ſerenâ*
*Qvod modò dictavit Cynthius ipſi mihi.*
Vir Chriſto fuſè charus *per cuncta vigebis*
*Tempora: Muſarum nempè Patronus ades.*

Joannes Dirſchofius
Jus dicens honor fias.

*Al.*

Joannes Dirſchovius
Juris honos devincas.

I*N caſtris Aſtræa ſuis te bella gerentem,*
Dirſchovi, *juvenes vidit ut inter, ait:*
Jus dicens fias honor *& lux grata Themiſtos;*
Devincas *alios tempore* Juris honos.
*Sermo ratus fuit, & tuus haùt labor irritus; eccè*
*Conciliat magnis te Charis æqva viris.*
*Cum tibi ſat gemini ſinuoſa volumina Juris*
*Nota forent; titulum Juris ab arte refers.*
*Nobilium miſcere choris te gratia qvondam*
*Dignata immenſi Cæſarius alma fuit.*
*Additus es ſummis tandem Doctoribus, æqvo*
*Conſilio qvorum Principis aula viget.*

*Illuſtres*

*Illuſtres juris ſtudio ſectare Dynaſtas;*
*Et longùm titulo Nobilitatis ova.*

Janus Grurerus
Unus ſurge arti.
Argutus virens.

O Grutere, *jubar regni palmare noveni;*
*Cvi ſanctè adſurgit Muſica tota cohors:*
Unus ſurge *ſacræ, poſtqvam esſes editus,* arti,
*Fatidico plenus Numine, Phœbus ait.*
*Omen erat; magnus ſurrexti dotibus unus,*
Argutus *vates, & Sophus arte* virens.

Joannes Ulricus
Sol vici vernans.

S*I virtutis & artis amor, ſtudiumq́; Themiſtos*
*Cui nomen peperit, gloria parta mihi eſt.*
Sol *vatum* vici vernans *cum laude Poëtas,*
*Aſtræáq́; viros qvi grave nomen habent.*
*Hinc viridem Lauri mihi finxit Apollo coronam;*
*Et Themidos ſumſi nomine ad aſtra gradus.*

Joannes Copius
Jus ponis, ô cane!

T*u qvoq;* Jus ponis, *ſpacioſam Marchidos aulam*
*Conſilijsq́; regis, conſilijsq́; tegis.*
O Cane, *Vir clare, diu! canosq́; capillos*
*Cernere qvò posſis, faxit in æthre Deus.*

Sebaſtianus Gerſtmannus
Eſt ſanus, beatus, germinans.

*Hic eſt, dum tractat perplexi dogmata juris,*
Sanus, beatus, germinans.
*Sanus jure cluet, verbi ſed luce beatus:*
*Perenne decus hinc germinat.*

Joannes Svevius
Sanus vive Sione.

*Juridicæ* Svevi, *præclara columna Themiſtos,*
*Grande Poëtarum, Philoſophûmq; decus:*
*Nempe Sion nobis locus eſt, ubi ſanus habetur*
*Non depravatæ Relligionis honos.*
*Sanus es, in ſacro tu* ſanus vive Sione:
*Felix, cui ſacro vivere monte datur!*

Gregorius Heſius
Surge; vige Heros.

H*Eſi, immortalis qvem laudis adorea clarat,*
*Sinceræq; nitens Relligionis honos:*
Surgis, *ut accreſcens inter vepreta cupresſus,*
*Ardua qvæ celſum tollit ad aſtra caput.*
*Dotibus ingenij & clarus virtutibus* Heros,
*Orator, vates, Hiſtoricusq;* vige.

Elias Roberus
Salus orbi e re.

*Dicitur optatam populo præſtare ſalutem,*
*Qvi jus obſervat, protegit, ornat, amat.*
*Tu qvia jus ornare paras, verumq; fovere,*
E re *ſic* orbi *diceris eſſe* ſalus.

Andre-

Andreias Sartorius
Terſa, viridans roſa.

*TErſa roſa ut viridi decus addit nobile campo;*
*Et gratum de ſe præbet odore bonum:*
*Sic* terſa & viridans roſa, *vir præclare, niteſcis;*
*Durat & Aſtrææ munere partus honor.*

Joannes Domannus
Nonne dona à Muſis

*MAgna bipartiti Juris,* Domanne, *ſacerdos*
Nonne *etiam* à Muſis *enthea* dona *geris?*
*Cultores Aſtræa ſuos cum laude coronat*
*Muſaq; cultores ornat honore ſuos.*

Chriſtophorus Reinhartius
Tu vir Heros, in Chriſto pars.

REinharte, *ætheriæ decus & tutela Themiſtos;*
*Famaq; Pierÿ non moritura lacus:*
*Tu* Vir *es ac* Heros, *virtutum laude coruſcans,*
In Chriſto *Nato* pars *peramœna Dei.*

*AL.*

Chriſtoferus Reinhardus
Herus in Chriſto dura fers.

IN Chriſto *laudatus* Herus fers dura *benigno:*
*Felix, qui patiens fert mala: victor erit.*

Georgius Schönbornerus
Surge choro ros benignus.

*ANte diem veluti teneris ros leniter herbis*
*Jucubat, ut ſpiret flore cadente vigor;*

*Et jam vita ferè morituris redditur horto,*
*Conſtat & hinc uſum triſtibus eſſe malis:*
*Si bonus es Themidos deſtillans flumine ſuccus:*
*Qvi fluit ex illo fonte, perennis abit.*
*Hinc pariter triſteis recreant tua carmina menteis;*
*Ingenioq; fluunt uberiore modi.*
*Phœbi* ſurge choro ros, Schônbornere, benignus:
*Per te Pieridum purior unda fluat.*

Joannes Cratſius
Sat carus in Sione.

*QVi ſibi Tænario molitur marmore tecta,*
*Aut avidus Syriis mercibus auctat opes.*
*Aut riguos more Alcinoi benè conſerit hortos,*
*Aut ſua poſt multas fata relinqvit opes.*
*Hic coram mundo multis cariſſimus audit,*
*Et nimiùm felix ille putatur homo.*
*Munera fortunæ ſunt hæc obnoxia morti,*
*Ancipitiq; ruunt mobiliora Noto.*
*Nempe Sion nobis locus eſt, ubi purus habetur*
*Et fidei & veræ Relligionis honor.*
Carus *es in ſancto,* ſatis *hoc per vota,* Sione:
*Sat felix, iſto cui datur eſſe loco.*

Jacobus Alemanus
I Luceas bona Muſa.

*OPtime vir, gemini palmaris adorea juris,*
*Humanitatis gloria:*
*Non tantùm Legum dubios diſſolvere nodos*
*Noſti, velut liber typis*

Subjectus

*Subjectus probat, immenſo non absq; labore,*
*Conſcriptus à te ſedulo:*
*Verum etiam lepidum graviore meliſma cothurno,*
*Dictante Phœbo, concinis.*
*Sparge tuæ radios lucis, patriamq; decora*
*Sacra Themiſtos dotibus.*
Qvàm benè junguntur Themidi cum laude Camē-
I Luceas Muſâ bonâ. (næ!

Johannes Mitio
Jo anne mitis? oh!

E*St mirum, ſenſim qvòd corda ferocia pulcris*
*Miteſcant ſtudijs, docta Minerva, tuis.*
*Dicitur hinc meritò, vir clarâ præditus arte,*
*Qvòd reliqvis ſoleat mitior eſſe viris.*
*Tu qvoq;* mitis es anne, *vir ô clariſſime? qværo*
*Sed qvid ego? Mites* mitio *mitis amat.*
*Ergo Themis lætâ dicas io voce ſacerdos!*
*Qvòd tuus hic mitis moribus, ingenio.*
*Mores, ingenium dulces tribuêre Camenæ,*
*Fata diu* oh *ſervent mitia mite caput!*

Micaëlus Bolfraſius
I Sol urbis luces fama.

O*Mnia Sol nutrit, vitaq; alimenta miniſtrat,*
*Et radijs replet lumina opaca ſuis:*
*Sic inſtar Solis gaudes præſtare levamen*
*Urbi, qvam Phœbus Pieridesq; colunt.*
*Ito* Sol urbis, famâ *dum perpete* luces
*Doctrina: verum nominis omen habes.*

*Qvod facis, auxilium fer conſiliumq; Lycêo,*
*Clare vir, ac urbis Sol precor eſto diu.*

Baltasſarus Caminæus
Clarans abis vates Muſâ.

*DUm Viadri ſacram profiteris in urbe Poëſin,*
*Et plebem numeros arte ſonare doces:*
*Fauſtus* abis clarans à Muſa & *Apolline* vates,
*Nomine & arx Phœbi clara ſit alta tuo.*
*Perge tuis ſtudijs doctæ prodeſſe juventæ:*
*Sic tibi de Muſis nobile nomen erit.*

*AL.*

Baldaſar Caminæus
Lavas: carmen dabis.

*ARte,* Caminæe, *eximiâ Themidos gravis, amne*
*Ora Caballino tu qvia docta* lavas.
*Hinc* dabis *Aonio conſperſum flumine* carmen;
*Qvo, vitæ exacto tempore, vivus eris.*

Marcellus Vrancheim
Heic ars clarum lumen.

*PIeridum Sidus,* Vrancheimius, *atq; Themiſtos,*
*Zutphaniæ patrios ornat honore lareis.*
Heic ars *dat* clarum lumen, *per Belgidos omneis*
*Qvod terras radios ſparget ubiq; ſuos.*

Petrus Cimdarſius
Pars Muſis dicetur.

Jus

J*us, Muſas, arteisq; bonas* Cimdarſus *amavit:*
*Hinc Sophiæ & juris lumine Doctor ovat.*
Pars Muſis *doctisq; viris* dicetur; *honoræ*
*Donec erunt Muſæ, donec honora Themis.*

Joannes Milich
Hic animo lenis.

H*Ic* animo lenis, *ceu nominis indicat omen,*
*Omnis & à toto pectore faſtus abeſt.*
*Exprimit hic vivas Charites, frontemq; ſerenam*
*Haùt nigra contractæ nubila frontis alit.*
Ejicitur morum feritas inamabilis arte;
Lenia dant cultæ pectora Pierides.

*FINIS.*

BARP.

# BARPTOLEMÆI BILOVI

## *Pleiadum Anagrammatiſticarum* Liber Qvartus.

*FRANCISCUS (H)ILDENSEMIUS*

ἀναγραμματιστικῶς:

Cur Luem Sedas? Sic Finis.

*CLare vir herbarum vireis, uſumq; medendi*
*Tractans, Phillyridæ dotibus aucte ſenis:*
*Artibus in cunctis ſcopus eſt, qvò tendimus arcum;*
*Qvem miſſo jaculo tangere qvisq; parat.*
*Sic hominis veram divinus Myſta ſalutem*
*Reſpicit, hanc laudem, ſi benè curat, habet.*
*Bartolus & Baldus, qvorum ſapientia mundo*
*Nota ſatis, noſtras jure tuentur opes.*
*Arte* luem medicâ cur ſedas, *tollis eamdem?*
Sic finis *Medico corporis alma ſalus.*
*Hanc qvia reſtituis facili medicamine, Phœbi*
*Dona tuis meritò fers duplicata comis.*
*Condecoratm ſacrâ Lauru te vena Poëtam*
*Fecit, ſed Medicum te facit artis opus.*
*Hinc, donec Laurum profert & gramina tellus,*
*Qvo flores, nullus finis honoris erit.*

Fridericus Heiningus
Hic vir fide inſurgens.

*CUm tua ſumma fides Medicam ſpectata per artem*
*Et foret,* Heiningi, *gloria, Phœbus ait:*

Inſur-

Inſurgens hic vir *ſummâ cum laude laborum*,
*Atq; fide ægrotis pharmaca ſana dabit.*
*Jhova tuis medicaminibus det robora, vivam*
*Plurimus ut per te ſentiat æger opem.*

Nicolaus Taurellus
Clarus in læto luſu.

E*S totus ſalibus,* Taurelle, *jocisq; refertus:*
*Teſtis ſufficiens eſt tua tota domus.*
*Imò tota tuis Academia Norica plaudit*
*Luſibus, & gaudet carmine Muſa tuo.*
In læto clarus luſu *cum laude vireſcas,*
*Inq; timore Dei perpete lætitiâ.*

Joac(h)imus Tancius
Muſa ſociâ vincit.

*AL.*

Joachimus Tanccius
Oh ſic vincat amicus!

TANCKIUS *eſt Medicâ Podalyrius alter in arte,*
*Et* Muſâ ſociâ vincit *in arte viros.*
*Heroos Lyricosq; modos, Elegosq; ſonanteis*
*Fingit, & argutis cultum Epigramma modis.*
*Fidus Ariſtotelis didicit docuitq; labores,*
*Unde Sophi claro nomine magnus ovat.*
*Hinc triplici fulget Lauru, quæ ſacra Poëtis*
*Dicitur, & Medicis quæ datur, atq; Sophis.*
Oh *Medicos vatesq; bonos* ſic vincat amicus?
*Miſceat ac herbas Pæoniâ arte diu.*

*Digna labore Deus det præmia: ſorte ſecundâ*
*Florentem merito ſanus & æger amet.*

David Herlicius
Hui luci adderis!

D*Um multis addis, vir præſtantisſime, lucem*,
*Atq; Mathematica clarus in arte micas:*
Hui luci adderis, *ſtellisq; nitentis Olympi!*
*Deq; tuo in cœlis nomine ſidus erit.*

*AL.*

David (H)erlicius
Dic viri laudes.

H*ERLICI, vatem te dicit Muſa: cothurno*
*Promeriti* laudes dic *graviore* viri.

Joac(h)imus Ol(h)afius
Jo vivas! flos mica.

O*Ptima fautorum pars & benè fida meorum,*
*Qvos mihi Prusſiaco fata dedére ſolo:*
Olhafi, *gaudes multis prodesſe docendo,*
*Et miſcere herbas Pæonia arte vales.*
*Sentiat auxilium qvò per te plurimus æger,*
*Fauſtus* Jo vivas! flos, Joachime, mica.

*AL.*

Joac(h)imus Ol(h)afius.
Jo amico ſalus fui!

D*Icat* Jo, *qvi ſenſit opem medicamine!* amico
*Grata* ſalus *ægro Pæoniâ arte* fui!

*Praſcribo*

*Præſcribo qvoniam præcepta ſalubria ſanis:*
*Miſceo non ſanis pharmaca ſana viris.*
*Plurimus hinc æger noſtro medicamine vivit;*
*Qvi jam ſub terræ viſcera iturus erat.*

Andreas Libavius
Dia ſanè laus urbi.

LIbavi, dia es ſanè & laus *nobilis* urbi,
*Naſcenti cunas qvæ tibi grata dedit,*
*Qvantus enim clueas Medicus, Sophus, atq; Poëta,*
*Ingenij teſtes ſunt monimenta tui.*
*Hinc tua ad Eoas volat, occiduasq; per oras*
*Fama, ſub extremis non peritura rogis.*

Reinerus Bontius
En is vir erit bonus!

EN bonus is vir erit, *Leidenſis fama Lycéi!*
*Dixit Apollo, videns Bontiadæ ingenium.*

Adolphus Tectander Venator
Ter honorandus catè plaudet.

H*Ic* ter honorandus *Doctor* Tectander Adol-
*Mente* catè *ingenij* plaudet *honore ſui.* (phus
*Thejologus, Medicus, Sophus, inſignisq; Poëta,*
*Alcmariæ & Batavi ſidus habetur agri.*

Joannes Papius.
I pius ſana pone.

V*Iderat ut Phœbus, Medicam qvi dicitur artem,*
*Primus in Aonijs inſtituiſſe jugis,*
*Sectantem* Papium *medicandi gnaviter arteis,*
*Cultori juveni, numine plenus ait;*

*Gloriæ*

*Gloria ſumma chori, qvi pharmaca tractat & herbas,*
*Ætatem tribuet ſi Deus almus, eris.*
I pius & ſana *ægrotis medicamina* pone:
*Ars tua præſentem pluribus addat opem.*
*Non caruêre ſuo Phœbi præſagia fructu,*
*Dum fata ſtudijs proſperiora dedit.*
*Factus enim eſt alter Podalyrius arte medendi,*
*Plurimus ac palmam præripuit Medicis.*
*Publica ſunt ſanè,* Papi, *tibi commoda curæ,*
*Nec medicas ceſſas exſeruiſſe manus.*
*Sic dubijs adhibe felix medicamina morbis;*
*Utq́ diu ponas pharmaca ſana, vale.*

Joannes Bernardus Titius
Is vir beatus nitet ornans.

*UT Medici & vatis* Titij *mihi culta videre*
*Contigit in ſacro nata Helicone mele:*
*Hac Heliconis aqvam mihi viſa dediſſe perennem;*
*Et ſubitò obcurrit luſus hic ingenij.*
Is vir *multiplici mentis virtute* beatus
Ornans *doctorum pectora, laude* nitet.
*Aonidum pergat lucos penetrare comoſos,*
*Porrigat ut Clarias crebriùs, oro, dapes.*

Joannes Cunradus Rhummelius
En Medicus ornans! laus virûm.

*SI qvisqvam candore valet,* Chunrade, *celebris*
*Fama Poëtarum, tu mihi candor eris.*
*Signa tui fidi perſpexi pectoris; in te*
*Livoris ſcabies non habet ulla locum.*

En or-

En ornans Medicus, Rhumeli, *jure vocaris,*
Ausq; virum! *noſtræ ſidus amicitiæ.*
*Ornari Medicus felix es dignus amore;*
*Æternumq; meres nomine & arte decus.*
*Corpora qvò releves variјs langventia morbis,*
*Atq; tuos ornes, det Deus oro diu.*

Theodorus Glaſerius
Soli Deo gratus herus.

S*Unt; qveis magnatum duntaxat gratia curæ eſt,*
*Principibus cupidi perplacuiſſe viris.*
*Ille ſapit, qvicunq; Dei ſine fine favorem*
*Qværit; hic ex omni parte beatus erit.*
*Hoc facis, & frueris divini Numinis aurâ,*
Gratus herus ſoli, *clare* Glaſere, Deo.

Joannes Knobloc(h)ius
An ſucco bono lenis?

J*Ane, Machaoniâ Viadri decus artis in urbe,*
*Vir pietate gravis, vir ſenioq; gravis:*
*Túne* bono ſucco *morborum tormina* lenis?
*Tantùm Phœbéas* an *profiteris opes?*
*Fauſtiter hoc præſtas ſed utrumq;: Profeſſor es artis,*
*Ægrotis Medicus fidus at uſq; manes.*
*Pelle vir alme diu triſteis medicamine morbos;*
*Reſtituens vitam, perdita qvando fuit.*
*Sic tibi proveniat medicam ſpectata per artem*
*Gloria; victurâ præmia laude feras.*

Sebaſtia-

Sebaſtianus Mollerus
Is morbus? en ſalus alet!

*ÆMule Phillyridis felix,* Mollere, *Profesſor,*
*Heic ubi Francfurtum piſcifer Odrus adit:*
*Dum morbi causſas ſcrutando inqviris, & aptè*
*Commiſces doctâ pharmaca certa manu;*
*Te duce lethiferum morborum proruit agmen,*
*Æger & optatum percipit auxilium.*
*Peſtifer* is morbus *lethi fabricator? amica* en
*Hoc ductore* ſalus *debile corpus* alet!

*Aliud.*

*Cum Acad. Francof. ProRector creatus esſet.*

Sebaſtianus Mullerus
Artibus ſanus, melleus.

*AL.*

Sebaſtianus Mollerus
Mel, vera ſalus bonis eſt.

*TE qvoq; Magnifici Rectoris nomine clarum*
*Gens Cyrrhæa vocat, gens ſtudioſa creat.*
*Hæc fuit ætherij nunqvam variata voluntas*
*Numinis: Aonij ſceptra capesſe gregis.*
Artibus *ingenuis es* ſanus, melleus: *hinc ſis*
Mel *turbæ innocuæ,* vera ſalusq; bonis.
*Tu ſis pœna malis, rectis tutisſimum aſylum:*
*Pro meritis qvivis munera larga ferat.*
*Sis tamqvam murus legum moderamine Muſis:*
*Nam Dominum merito, qvi tueatur, habent.*

*Muſarum dociles qvò pace fruantur alumni,*
*Et capiant ſtudijs præmia digna ſuis.*
*Flaminis inſtillet vivum tibi gratia robur:*
*Rectoremq́; poli Rector ab arce regat.*
Eſt gratum ſuperis, ſtudioſam flectere plebem,
Imperio; qvod laus non moritura vehet.

Georgius Scilerus
Vir es, Sol egregius.

ES vir & egregius Sol, *Doctor, Apollinis arte*
*Præſtans, Aonidum Rector amande choro.*
*Sol velut auricomus nigranteis diſcutit umbras,*
*Atq; revivificat cuncta calore ſuo:*
*Arte Machaoniâ ſic nigra venena repellis,*
*Et reficis medicâ corpora læſa manu.*
*Grata ſalutiferi facies clariſſima Phœbi,*
*Cùm Boreæ pellit frigus, & arva fovet:*
*Gratius aſt ægris* SEILERI *cernere vultum,*
*Semina morborum qvi repuliſſe poteſt.*
*Ut poſthac, faxit rerum mirabilis auctor,*
*Optatum per te ſentiat æger opem.*

Joannes Diterus
In Deo ſanus erit.

N*Ulla ſalus terris: conſiſtit vita perennis*
*Notitiâ in* Chriſti, *& cognitione patris.*
*Hæc qvia notitia eſt* Ditero *nota, perenni*
*In vivente* Deo *tempore* ſanus erit.

AL.

Joannes Dieterus
Odis nites, verna.

O *Qvàm felici ſpeculatur ab arbore paucos*
*Delius, ingenio qvi meruêre decus!*
*Te medicâ & Melicâ claravit Cynthius arte;*
*Primus honor patriæ,* Jane Ditere, *tuæ es.*
*Clarus honore nites Sophiæ; tua Laurus obumbrat*
*(Contigit hoc paucis!) timpora docta triplex.*
*Nempe* nites, *gravibus, velut alter Horatius,* odis;
*Qveis multis palmam præripuiſſe potes.*
*Fulge jubar patriæ, veluti Sol fulget Olympo;*
*Et celſis* verna *dotibus ingenij.*

Joel Pinnovius
Jo! plus invenio.

L*Ætor* io! *ingenio Phœbus conceſſit acumen;*
*In ſacris* ego plus *artibus* invenio.
*Hinc mihi Pierides ſtudij jucunda dederunt*
*Præmia: laus major non aliunde venit.*

Caſparus Conradi
Pius candor, ac ars.

NUlla fides mundo: pietas ac candor apertus
Proh noſtrum prorſûs deſeruêre ſolum!
Mens aliter ſentit, loqvitur qvàm lingva: ſodalis
Mel multi ore datant, pectore virus alunt.
En candor pius ac ars, *mi* Caſpare, *relucent*
*In te! qvæ ſummi munera ſumma Dei.*

*Ecce ſalutaris Sophiæ cum laude Magiſter!*
*Et, ſacra qvæ Melicis ac Medicis, tua ſunt.*
*Nempe bonos candor decet: hic ſi jungitur arti,*
*Præmia fert meritò laudis, honoris opes.*

*AL.*

Caſparus Cunradius
Sanus ac purus dicar.

EST ingens felixq; Dei dos Omnipotentis,
In ſano ſanum corpore habere animum.
*Pectore vir* ſanus, *menti dent Numina vireis,*
Ac purus dicar, *Chriſte benigne tibi.*

*AL.*

Gaſper Cunradius
Piè ſurgas candore.

CAndor, amicitiæ nervus, pia pectora jungit,
Eſt virtus magna, at rara in amicitiâ.
Tu candore piè, Conrade, *vir optime,* ſurgas;
*Qvod facis: hinc omnis te pia turba colit.*

Mic(h)ael Mejerus
Vis merè melica.

C*Alliope mirata tuam,* Mejere, *Poëſin,*
Vis, *ait, ex omni parte* merè melica *eſt.*

Matthæus Ceiſius
I, Matheſi cautus es.

ARte Mathematicâ vix pulcrior ulla putatur,
Qvando ſuperſtitio & turpis abuſus abeſt.

*Scilicet hæc pennis cœlum pernicibus intrat,*
*Prævidet & longè fata futura necis.*
*I felix, qvoniam* es cautus, Matthæe, Matheſi,
*Divinumq́ poli tolle per aſtra caput.*

Samuel Scarlac(h)ius
Is clarus, lac Muſæ.

*NAſcitur ut fortis validis heroibus heros,*
*Naturæ ſemen prole imitante ſua:*
*Sic innatus amor Muſæ & pietatis honeſtus*
Scarlachio, *clarus qveis pater ipſe viget.*
*Gnaviter eſt cujus veſtigia fixa ſecutus;*
*Qvem prorſus verbis, corpore, mente refert.*
Clarus is *ingenij donis,* lac *nobile* Muſæ
*Et ſacras avido pectore qværit opes.*
*Hinc olim, Jhovâ ceptos moderante labores,*
*Doctor erit, patriæ ſtella coruſca ſuæ.*

Joannes Antonius Nævius
Nonne ſvavis in vita? o ſanè!

*ESt jucunda mihi tua converſatio,* Nævi:
*In vultu & ſedem pectore candor habet.*
In vitâ nonne es ſvavis *ſermonibus omni?*
O ſanè! *fucus, fraus, dolus omnis abeſt.*
*Officioſus es, & multis ſervire paratus;*
*Svavis es, & bonus eſt dignus amore tuo.*
*Qvàm grata ægrotis tua ſit præſentia, teſtis*
*Elbinga eſt; vitam ſæpè qvibus reparas.*
*Vive diu, felix Medicorum gloria; dignus*
*Qvem ſacer Aonidum laudet ametq́ chorus.*

Hein-

Heinricus Petréus
En hic purè terſus!

INgenÿ monumenta tui cum fortè videret,
Scrutantis morbi naviter omne genus;
Tractantemq; Machaonias feliciter arteis,
Et Medicâ & Melicâ Cynthius arte potens;
Cedite vos fuci; ſurgit Podalyrius alter,
En purè hic noſtro munere terſus ait.
Lauriger ergò ſuum tribuit cui numen Apollo,
Te, Petræe, omnis ſanus & æger amet.

Samuel Macrinus
En is Muſarum lac!

EN is Muſarum lac, eſt nutritus ab ipſis!
Lacteus hinc totus lactea metra canit.

Wilelmus Bœcelius
Bellè vivo Muſis luce.

SI vacat à curis ægrorum in Marchide priſcâ,
Qveis medicas fas eſt adplicuiſſe manus:
Interdum bellè vivo, & me recreo Muſis
Luce, ſacer Phœbus qvam mihi ſuppeditat.

Joannes Crugerius
O vir ingens curâ!

QVem primum Medicum Gartlebia docta ſalutat,
Crugere, Aoniſin cura novenſtlium:
O vir cura ingens doctâq; Machaonis arte,
Fitq; tua ſavus plurimus æger ope.
Ut curare qveas multos felicibus herbis,
Te regat ac curet cura benigna Dei.

*AL.*

Johannes Crugerius
Carus herus ingenio.

*MOrborum domitor,* Crugere, *ſeverior, ægri*
*Optatum per te qvando levamen habent;*
*Præſentemq́ potes Fati prævertere legem;*
*Parcaq́ parcit:* herus carus es ingenio.

Janus Bochmanus
An hic Muſâ bonus?

*ET Medicâ & Melicâ* Bochmani *nobilis arte,*
*Suſpiciens animi munera, Phœbus ait:*
*Fallor?* an hic Muſâ bonus *eſt, dum carmina vates*
*Digna cedris mirâ dexteritate canit?*

Chriſtianus Acidalius
Hic à ſanis laus dicitur.

*OPtima* Acidalius *dum pharmaca porrigit ægris*
*Corpora & ad vitam jam moritura vocat:*
Dicitur à ſanis hic laus, *Mediciq́ ſenatus*
*Gloria, laus patriæ non moritura ſuæ.*

Johannes Steinmetſius
In Muſis honeſtè niteas.

*LImpidiore tibi currunt ex flumine Muſæ,*
Steinmetzi, *Myſio lux nova nota ſolo.*
In Muſis niteas, *largè qvas promis,* honeſtè,
*Carminibusq́ diu nomina digna canas.*

David

David Lipſius
Pius dia ludis.

DIa pius, LIPSI, *vates meletemata* ludis,
*Dignorum laudes qveis canis, atq; Dei.*
*Tertia, qvæ doctis debetur jure Poëtis,*
*Impedit hinc crineis Laurea ſacra tuos.*
*Qvarta ſed in cœlis, poſt ultima fata, parata eſt,*
*Immarces ſibili flore corona tibi.*

Davides Cruſius
Dius audis; cures.

CRuſiades, audis dius, *Medicusq; peritus,*
*Ingenij propter munera dia tui.*
*Te veneratur, amat totâ cum plebe Senatus,*
*Heic ubi lativagis currit Hiera vadis.*
*Sis felix longùm,* curesq; *fideliter ægros;*
*Larga tuam qvorum copia qværit opem.*

Elias Reuſnerus
En res verſu alis!

U*Tuntur multi verbis in carmine ineptis,*
*Nec res in verſu convenienter habent.*
*Nec tibi deficiunt res unqvam, verba nec apta,*
Reuſnere: en verſu res alis *egregias!*

Juſtus Elias Evander
En ſis Dei vates lauru!

Q*Vam tibi Laureolam vates gratantur amici,*
*Non cauri lædant, Icariusve canis.*
En ſis, Juſte Dei, vates, *Peneide* lauru
*Cinctus, Apollineum dum canis ore melos.*

*FINIS.*

# BARPTOLEMÆI BILOVI

## *Pleiadum Anagrammatiſticarum*

## LIBER QVINTUS.

Paulus Coſterius
Virtuoſus Places.

QVi *virtute valet, bona poſſidet omnia dives;*
Coſtere, *vir doctiſſime;*
Es virtuoſus: *hinc Deo*
Places, *& omnibus bonis;*
*Bonis beatus omnibus.*
*Inclutam te propter virtutum dona tuarum,*
*Gardlegienſis civitas*
*Paterna ſuſpicit, colit,*
*Dignisq; laudibus vehit,*
*Dignum perenni gloriâ.*

*AL.*

Paulus Coſterius
Purus vates colis.

PUrus *es & terſus* vates, *Coſtere, vetuſtos*
*Judicio vates qvi legis atq;* colis.
*Præmia qvi juvenis meruiſti digna laborum,*
*Virtutis merces nunc datur alma viro.*
*Non Papa, non Cæſar, non Rex, Coſtere, Comesve,*
*Muſa coronavit te viridante Daphne.*

*AL.*

*Al.*

Paulus Coſterius
Carus eſt pio luſu.
Et pius ſacro luſu.

V*Idit ut Odarum* Costeri *Muſa libellos,*
Eſt luſu carus, *dixit amica, pio.*
Et ſacro pius *eſt* luſu, *res carmine dignas*
*Tractat, & utibiles, materiasq́ pias.*
*Ut ſit ei ſimilis non hac ætate Poëſi*
*In Lyricâ; reliqvos dum ſuperare poteſt.*

Heinricus Meibomius
Hic in membro ſui Jeſu.

Q*Vi Chriſtum Jeſum fido veneratur amore,*
*Et memori ſervat pectore verba Dei:*
Hic *eſt* in membro *vivax in eoq́ manebit*
*Salvantis* Jeſu *tempus in omne* ſui.

*Al.*

Heinricus Meibomius
Hîc meo Muſis in urbe.
Hem mirè bonus civis!

HîcMuſis meo in urbe, *tuum Metagramma, co-*
Meibomi, *loqvitur; qvas geris in cerebro. (lende*
Hem mirè bonus *es* civis, *Phoebiq́ ſacerdos*
*Optimus, hiſtoricum dum profiteris opus.*
*Atq́ labore tuo, qvem laus comitatur honosq́*
*Et decus, innumeris utilis eſſe cupis.*

*Sic benè de Muſis & poſteritate mereri*
*Perge: tuum nomen poſtera ſecla canent.*

Joachimus Cimdarſus
Ah Muſis dicor amicus!

*STrenuus usq; fui cultor virtutis & artis,*
*Breg la meæ teſtis ſedulitatis erit.*
*Carmen ob excellens* ah Muſis dicor amicus!
*Hinc cinxêre ederæ frunde virente comas.*

Pancratius Grugerius
Græcis purus: canitur.

*VIr præclare, decus Pataræi nobile Phœbi,*
Crugeri, *patriæ gloria prima tuæ.*
*Natus ad innumeros es, Numine dante, labores,*
*Arte tuâ ludi commoda nempè juvas.*
*Artibus es* purus Græcis *& pectore: puræ*
*Hinc* canitur *mentis dos celebranda tuæ.*
*Carmina grandiſono dictat tibi Muſa cothurno*
*Seu Græcis, Latijs ſeu juvat ire modis.*
*Qvin vario potis es ſermonem fingere more;*
*Qvæ canis, en puris auribus iſta probat.*
*Qværere perge precor ſtudioſæ commoda turbæ;*
*Præmia te cœli non peritura manent.*

*AL.*

Pancratius Crugerius
En tu curſu par Græcis!

*HEic qvando tradis lingvam cum laude Pelasgam,*
*Ingenij pandens flumina pulcra tui.*

*Ac in-*

*Ac inveſtigas res mentis acumine multas,*
*Qvas acie potuit nemo videre ſuæ:*
*En tu facundis* par Græcis, *clare* Crugeri,
*Ingenij* curſu *dotibus atq; tui.*
*Hinc qvia par Græcis profiteris Græca, perennem*
*Hos inter laudem cur mercraris, habes.*

Joſephus Langius
Evigilans Sophus.

*QVi Sophus evigilat, ſacrat ſuæ nomina famæ,*
*Cvi non poſt cineres ulla nocebit hiems.*
Evigilans Sophus *es, vatesq́; operoſa laboris*
*Teſtatum faciunt hoc monimenta tui.*
*Evigila; at cura tua digna meliſmata lucem,*
*Ne premat æternis longa dies tenebris.*

Jacobus Roſefeldus
Decus florebis, ovas.

*UT decus hortorum flos & roſa dulcis in agro*
*Floret odoratis conſpicienda comis.*
*Sic* decus *Aonidum Clarijs* florebis *in arvis;*
*Et ſine fine bonæ frugis aroma feres.*
*Cur non plaudis* ovasq́; *tuis cum laude Camēnis?*
*Vatis honorandi nomine ſemper ova.*

Heinricus Ecſtormius
En hic vir eſt cor Muſis!

*NObilis* Ecſtormi, *Chriſti Phœbiq; ſacerdos,*
*Qvo ſchola Walckredæ docta docente viget:*
*Cum tua culta mele vatum* Mollerus *amicus*
*Judicio offerret ſubjicienda meo:*

*Hoc Metagramma tui mihi nominis augur Apollo*
*Suggeſſit, ſtudijs qvi favet usq; tuis:*
En hic vir Muſis *eſt* cor *columenq́; novenis!*
*Grata juventuti dat metra; grata Deo.*
*Vive diu,* Ecſtormi, *ſacris cor nobile Muſis;*
*Floreat ut per te planta ſacrata Deo.*

Melchior Leænus

An hic melleus ore?

M*Ellia Apollo videns ſingentem metra* Leænum;
*Qva jacet urbs, nomen cui dedit Anna ſacrũ,*
*Lauriger Aonijſin cinctus cum plauſibus inqvit:*
*Fallor?* an hic *docto* melleus ore *nitet?*
*Melleus in numeris eſt pectore & ore* Leænus,
*Dignus & eſt, Lauri cui tegat umbra comas.*
*Eſt mellita viro virtus, pietasq;, fidesq́;;*
*Qvi nihil in niveo pectore fraudis habet.*
*Applauſit Phœbo lætanti murmure Pimpla;*
*Cenſuit ac dignum totus honore chorus.*

Michael Leonartus Rœſchingederus

Æmule ter dignus honore clareſcis.

GLoria virtutem comitatur neſcia lethi,
Ætherijs qvæ nos tractibus inſinuat.
Æmule *virtutis*, Michael, ter dignus honore,
Clareſcis; *vetat & te pia Muſa mori.*

Willichius Veſthovius

Hui vivis! hui ut Sol luces!

N*On opus eſt ederâ ſuſpenſâ ſicut Jaccho*
*Vendibili: ſic ſe ſat tua Muſa probat;*

Qvæ

*Qva volat immenſum doctis accepta per orbem:*
*Et numeris plaudunt Danica regna tuis.*
Hui *tot carminibus,* Weſthovi *candide,* vivis!
Hui luces ut Sol, *clare Poëta, metris.*

Georgius Martinius à Baldhofen,

*Adplaudente Anagrammatismo diſcedit Lugdunum Batavorum, Anno 1602.*

His Maro naturâ bis dignè fulgeo.

D*Evotus Batavis votis Fatisq́; vorabo*
*Difficilis nimiùm tædia longa viæ.*
His Maro natura bis dignè fulgeo *ſolis:*
*Mitto avos; ad vos miſſus eo Batavos.*

Melchior Laubanus.
Ah lumen ac Sol urbi!

MElchior, *eſt priſcis tua par lyra carmine, gaudet*
*Dum melica in cerebro Muſa habitare tuo.*
*Motus amore lyræ, Lauri tibi ſerta* Meliſſus
*Contulit, ad Nicri qvà Schola ſurgit aqvas.*
*Albidos ad ripas cum Numina ſacra tenerent,*
*Serta Magiſterij Leucoris alma dedit.*
Sprotta *parens primùm fovit te parva docentem,*
*Poſt Goldbergenſis te Schola clara vocat.*
*Pruſſiacas tandem tua fama exivit ad oras,*
*Et Gedanum ſtudij floret amore tui.*

Ah lumen *fulges* ac Sol *nitidiſſimus* urbi
*Dantiſcanorum, Gymnaſijq; jubar.*
*Vive diu, ut multis poſſis prodeſſe Camenis;*
*Et geminam tyro diſcat amare lyram.*

Thomas Sagittarius
Muſa grata ſit hoſti.

C*Lare* Sagittari, *patriæ lux incluta terræ,*
*Magne Poëta, Sophûm gloria, juris bonos:*
Sit *tua* Muſa *etiam pleno livedinis* hoſti
Grata; *nec hanc Momus carpere jure qveat.*

Joannes Wanccelius
O in luce vivens canas!

C*Lare vir, Hiſtoricùm* Wanckeli, *nobile Sidus,*
*Atq; Poëtifici gloria rara chori:*
O vivens in luce canas *præclara virorum*
*Facta! fides qvorum digna canore fuit.*
*Sic magè clareſces cunctis in partibus orbis,*
*Qvas Sol exoriens occiduusq; videt.*

Paulus Michaelius
Heic pullus à Muſâ.

H*Eic ubi Gymnaſium Michaëlis nobile ſaxo*
*Floret, & Aonidum nomen ad aſtra micat:*
A Muſâ pullus, Michael *cultiſſime, ſurgis,*
*Artibus ingenuis clarus ut ipſe faves.*
*Seu Grajâ Latiâve lyrâ vis ludere, multis*
*Vatibus heic palmam præripuiſſe potes.*

*Hinc dedit ex ederâ Muſarum ductor Apollo*
*Serta decora tuis, non moritura, comis.*
*Vallibus in Clariјs Muſarum pulle, vireſcas,*
*Plantula qvò per te creſcat amœna Deo.*

Henricus Aneriſtus
Hîc ars in verſu ineſt.

DIcet, *Zenckfriadæ qvi carmina pulcra videbit:*
Hîc ars in verſu, *qvi benè currit,* ineſt.

Johannes Weitſius.
Ohe ſvavis inventis!

NIl gravius, doctus ſine qveis eſt nemo Poeta,
Inventis rebus dia Poeſis habet.
Svavis ohe inventis! *es venâ divite ſvavis;*
*Concelebrat dignos qvâ tua Muſa viros.*
*Vena Dei donum eſt, qvæ flammâ accenditur almi*
*Numinis, hâc, vates optime,* Jane, *cales.*

Georgius Carolides
Os gregi, carus Delio
O Sol egregius dicar!

OS *ſum dulce* gregi, *ſum* carus Delio *amicus,*
*Cauſa ſubeſt, vates qvòd reverenter ament.*
O Sol egregius dicar, *qvia munera Phœbi*
*Exæqvat Muſæ vis generoſa meæ.*
*Dignus Apollineæ capio hinc ſacra præmia lauri,*
*Qvæ ſemper lætis frondet amicta comis.*
*Hinc mihi Pieridum favet alma caterva ſororum,*
*Dictat & Aonijs verba ligata modis.*

Joannes

## Joannes Vincelbergius
## En jubar! celſus ingenio.

*SIc eſt: vana ſolet ſæpè Philautia*
*Multos flore vigentes juvenes adhuc*
*Inflatos nimiùm reddere, qvò minùs*
*Doctrinam ſolidam parent.*

*Laſcivi gregis, haùt immeritò qverens*
*Exclamas veluti balba puertia*
*Sordens criminibus non dubitat melos*
*Luci credere publicæ.*

*Pruritusq́ʒ capit nunc cacoëtheos*
*Iſthîc innumeros,* Jane, *juvenculos,*
*Ut fingant miſero ſenſu Anagrammata,*
*Et ſic nomina torqveant.*

*Tu verò minimè Numine abuteris*
Vertumno,*ſed eos ſerpere humi ſinis,*
*Adfundisq́ʒ tuis carminibus jubar,*
*Nec non Plejadibus novis.*

*En terræ patriæ tu* jubar *aureum*
Celſus *præ reliqvis* ingenio *clues,*
*Teſtatur veluti ſignificantiùs*
*Omen nominis hoc tui.*

*Arguti calamos noſcis Horatij,*
*Digna & grandiſoni Virgilij tubâ,*
*Et Naſone canis: Caſtaliæ hinc Deæ*
*Lauri ſerta ferunt tibi.*

Sic

*Sic prudens taciti temporis exitum*
*Qvi conſiderat, ac hoc vitium fugit,*
*Frugum Pieridum demetet optimam*
*Meſſis tempore copiam.*

*Ergo,* Jane, *tuam, dum licet, entheam*
Cardianam *celebra carmine amiculam,*
*Commiſcens ſtudijs ludicra ſerijs.*
*Turpe eſt negligere in loco.*

## AL.

Joannes Vincelbergius
Re, linguæ bonis vincis.

*SUnt, qvos tumentis lingva volubilis*
*Vulgo profano conſpicuos facit*
*Mirabilesq́ʒ.*

*His vulgus adſtet mobile ſubrigens*
*Aures ſtupentes, & paveant viri*
*Perterriti*

*Clamore. Sed qveis pectus ab artibus*
*Mollitur, & qvêis judicij eſt vigor*
*Et ingenI:*

*Diſcernere hi norunt benè linguas*
*Doctas ab indoctis, ſimul & rei*
*Pleniſſimis.*

*Et tu* Joannes *qvem mihi Guttalus*
*Adjunxit hortis heic in Apollinis*
*Scientiâ.*

Re & lingvæ vinces *alios* bonis
*Famâ vigentes: vive diu precor,*
*Et Plejades*
*Exopto veſtræ (carmina qvæ tibi*
*Tam longa nubes ſupprimit hactenus)*
*Poſt nubila,*
*Lucis nitorem ſuccipiant gravem,*
*Longùmq́; durent: judice nec malo*
*Porrò micent.*

Heinricus Decimator
En hic mitrâ decorus!

TEgerum *qvamvis presſet jam ſerior ætas,*
*Attamen jucumbit nocte dieq́; libris.*
En hic *Apollineâ Lauru,* mitrâq́; decorus,
*Inſeruit multis usq; labore ſuo.*
*Immortalis erit famâ, juvenisq́; ſenexq́;*
*Tempora qvi Muſis conſecrat, atq; Deo.*

Joannes Mylius
Aſylum in ſenio.

F*Idus adhæſiſti vitæ qvi tempore Chriſto;*
*Cviq; juventutem cura docere fuit:*
*Eſto tuis, præclare* Myli, *ſolamen* aſylumq́;
In ſenio, *Muſis anchora fida bonis.*
*In ſenio ſano tibi ſit Servator aſylum:*
*Proroget hic vitam, & det benè posſe mori.*

Chriſtophorus Donaverus
Hic honor dat puros verſus.

P*Ræcipuos inter, Germanidos ora Poëtas*
*Qvos fovet, eximius* Danubianus *erit.* Hic

Hic honor *Aonidum* puros dat *Apolline* verſus
*Præſide, qvæ rigui fluminis inſtar eunt.*
*Danvubius donec campum devolvet aqvarum,*
*Splendida durabunt carmina Danubij.*

Michael Abelus
Heic bella Muſa.

C*Um primùm legerem jucunda melismata* Abeli,
*Marchia qvem ripas ad Viadri genuit:*
Heic bella, *ajebam*, Muſa *eſt; heic Gratia ſedem*
*Trina gerit, numeris addit Apollo jubar.*
*Tu qvi nomen idem geris, & cum laude coronam,*
*Illius in numeris ritè imitare decus.*
*Alter ad innumeros abijt; ſurrexit* Abelus
*Alter, qvi veteri par gravitate viget.*
Heic bella *& ſvavis* Muſa *eſt in* Abele Secundo;
*Dicam: ſenſit olor fam; revixit olor.*

Laurentius Friſæus
I vates lauris fruens.

H*Ic Myrtum Lauro præfert; hic Laurea Myrto*
*Serta: Poëta Daphnes, Myrtea amator amat.*
I vates, FRISÆE, fruens, *Clariſsime*, lauris;
*Qvas Schedio, vatum Numine, dante geris.*
*Laurus amat vatem; Myrto lætantur amantes:*
*Felix, qvi fruitur ſorte utriusq; Deæ.*

*AL.*

Laurentius Friſæus
Venis? ſalute frueris.

AD Chriſtum, Friſæe, veni mox, ſarcina qvando
Ingens peccati te premit, atq; dolor.
Ille refrigerio pectus recreabit anhelum;
Et dabit æternâ poſſe ſalute frui.
Nec mora: nempe venis, Friſæe, ſalute fruaris:
Nec tibi feta malis ulla nocebit hiems.

Johannes Fortuman
Mane fortuna Sion.

WErnigeroda tuas miratur amatq; Camênas,
Adprobat & ſtudium civica turba tuum.
De meliore notâ commendat dona docendi
Te qvibus ornavit Jhova, ſalutis apex.
Urbibus ex aliјs tibi miſſa vocatio fertur:
Aſt tibi commiſſas tu retinebis oveis.
Fortumane, mane *felix* fortuna Sionis;
Et populis rectam pandere perge viam.

Sigiſmundus Mollerus.
Sol ſurgis, dium lumen es.

LUx hodiè ſacra Caſtaliјs effulſit in antris,
Sol Turingiaco ſurgis, amice, ſolo.
Impoſuêre Daphnes tibi florida ſerta Camênæ:
Vatum etenim dium lumen es atq; decus.

Joannes Lanius
An laus in Sione?

SAna ovibus Chriſti Lanis dum pabula præbet,
Fallor? an hic laus in monte Sione cluet?

Andre-

Andreas (H)elvvigius
An vir uſu? i da leges.

AN vir es, Andrea, *Phœbo cariſſimus, uſu?*
*Digna tui ingenij vena dat ampla viro.*
I, da *jura tuis, &* leges *promtus alumnis,*
*Quà Schola percelebri floret in amne ſalis;*
*Et juga Calliopes generoſæ oſtende juventæ,*
*Pierij hanc liqvidis imbue fontis aqvis.*
*Scribendi, leges da, culta Poëmata plebi,*
*Deſine nec Clarias ipſe movere lyras.*
*Sic magis atq; magis fies vir clarior uſu,*
*Nominis & latè conſpicietur honos.*

*AL.*

Andreas Helvigius
An laus Dei? hui ſurge!

D*Um lyra diverſis reſonat tibi mellea plectris,*
*Fallor?* an *Aonij* laus *es, amice, Dei?*
Hui ſurge, *& vibra pernicibus æthera pennis:*
*Poſt obitum te laus non moritura vehet.*

*AL.*

Andreas (H)elvvigius
Gnavus adire velis.

Q*Vem Muſæ celebri Soltqvellæ ſede reductum*
*Vix Viadri claro reſtituêre ſolo:*
*Arx quà ſtat Phœbi vivas prope fluminis undas:*
*Teutoniæ doctis addita Gymnaſijs.*

HELWIGIUS *celeres abitus parat ecce viciſsim,*
*Scilicet ut gratus præſtet opem patriæ.*
*Sis ergò felix, cum ſic mandante Jhovâ*
*Cogeris Odriacos deſeruiſſe lareis.*
Gnavus adire velis *ludum, munusq; docendi*
Et niſu *patrios proſper* adito lares.
*Incolumisq;* vige *longos feliciter annos,*
*Surgat ut inde Dei laus hominumq; ſalus.*
*Comprecor interea Numen te ſervet Olympi,*
*Fauſtiter & teneas frena regenda Scholæ.*

Paulus Cragius
Pulcra agis uſu.

PUlcra, *nitens vates,* agis uſu *carmine pulcro:*
Artifices qvovis uſus in arte facit.

Michael Pharetratus
Hem hîc pura latet ars!

HEm pura hîc latet ars, *lector ſi dixerit æqvus,*
Pharetrati *carmina cernens:*
*Judicium tulerit benè, Phœbo judice, purum*
*Purâ canit arte melisma.*

Mic(h)ael Hartmanus
Charus limâ manet.

D*Um ſtudet* Hartmanus *Muſis adhibere laborem.*
*Adſiduum, his* limâ charus *& arte* manet.

Joſephus Clauderus
Laude Sophus è curis.

*Clareſ-*

*CLareſcis cum laude Sophus*, Claudere, *tot & tot*
E curis *qvas dat fervidus artis amor.*
*Hinc Sophiæ tribuit tibi Leucoris alma coronam,*
*Præmia virtutis non moritura tuæ.*
*Perge movere lyram: Laurus, qvæ ſacra Poëtis,*
*Jungitur en meritis, non ſine laude, comis.*

Fridericus Trojanus
Tu in fide oras, curris.

IN *verâ,* Trojane, fide tu *ſedulus* oras:
*Peridum in campis* curris, *amice, fide.*

Bartholomæus Wilihelmus
Hui ille olor Muſam habet uſu!

HUi Muſam *niveus venuſtiorem*
Uſu *ſic* olor ille habet Wilhelmus
*Ut Phœbi reliqvos canendo olores*
*Et Grajâ ſuperet chely & Latinâ;*
*Qvam docet teneram movere pubem,*
*Floret qvâ Schola in Inſulâ Mariæ*
*Cœlos plantet ut hic olor Jehovæ,*
*Huic longam tribuat Deus ſenectam.*

Ambroſius Hanemannius
Nonne vir Muſas amabis?

*CÆſariam docto meruiſti carmine Laurum:*
*Impoſita eſt Sophia deinde corona tibi.*
Nonne vir, *ante velut,* Muſas *ſacra Numina,* amabis
*Aonidum poſthac te magis urat amor.*
*Ad majora tibi calcar dabit utraq; Laurus:*
*Perge; Machaoniâ nomen ab arte feres.*

Geor-

Georgius Theodoricus.
Tu egregius choro odis.

*DIgna labore ſuo, Sophiæ præclare Magiſter,*
*Virtutis tamdem præmia cultor habet.*
*In claro Aonidum qvoqȝ* tu *reſonantibus* odis
Egtegius *vates es,* Theodore, choro.
*Te Wurcena ſuum jactat celebratqȝ Poëtam;*
*Et primus vates Lauriger es patriæ.*
*Lætus honore tuo ſectari perge Camœnas,*
*Ut per te capiat Myſia tota decus.*

Benjaminus Bonerus
Bonus Sabini munere.

*DUm luſtras hortos, & Apollinis antra,* Sabini
*Tu* Bonus *Aonidum* munere *victor* abis.
*Dicit Apollo: bonæ juveni ſacra ſerta puellæ*
*Nectite, eisqȝ bonum mox redimite caput.*
*Qvottidè ſiqvidem bona nobis carmina fundit,*
*Carmina qvæ noſtro judico digna choro.*
*Nec mora; ſerta legunt Lauri viridantia Muſæ,*
*His tibi cinxerunt, docte* Bonere, *comas.*

*AL.*

In numeris bonus bea.

*CUm natale ſolum primos ſibi vindicat ortus*
*Noſtri, tu patriam frondis honore* bea.
*Nam* bonus in numeris *animo ſincerus es idem,*
*Hinc eſt in factis inviolata Fides.*
*Talibus ornatus donis clareſcis, & inde*
*Es vates omni jure,* Bonere, *bonus.*

*Aliud.*

*Aliud.*

Nube Muſis in re bonâ.

BENJAMIN *à Muſis Clarias cum ſæpè rogâsſet*
*Divitias, ejus major ut esſet honos:*
*Laureolam capiti conjungit Phœbus, & inqvit:*
*Nunc* in re Muſis nube Bonere, bonâ.

*AL.*

En vir bonus manebis!

CAndidus is minimè, ſalvo candore, vocetur,
Qvi blandè menti disſona verba facit.
*Sed qvi, propoſito virtutis tramite, lingvâ*
*Qvod profert, facto comprobat ipſe ſuo.*
*Hoc qvia tu præſtas (abſit ſimulatio dictis)*
*Nomine diſcordat non Anagramma tuo.*
Vir bonus en *vates & candidus usq;* manebis,
*Flamine divino cor moderante tuum.*
*Nam cui virtutis ſacrum ſemel ignem*,
*Jhovâ, ſuâ hic conſtans in probitate manet.*

Chriſtoferus Cieglerus
O fer: Chriſti luce ſurges.

MUlta viro veniunt ſubeunda adverſa ferendo
Culmina Parnaſi qvi ſuperare cupit.
Ut fruſtra exponit piſcator retia: cymba,
Sic noſtra infelix fœnore ſæpè vacat.
*O patiens* fer, *qvæ tibi ſunt*, Cieglere, *ferenda:*
*Sic* Chriſti ſurgse luce *perenne decus.*

 Mic(h)ae-

Mic(ha)elus Rothardus
Dius clarat Homerus.

*Lux nova Pieridum, Sophies Phœbiq; ſacerdos,*
*Gloria Mulhuſæ ruri,* Rotharde, *tua:*
*Non Maro te tantùm, ſed* dius clarat Homerus;
*Cujus epos redolet grande meliſma tuum.*
*Mæonios, moneo, pergas attollere folleis,*
*Et te ſiderijs inſerere ordinibus.*
*Qvid finxiſſe tibi, qvid, te latuiſſe, juvabit?*
*Ede precor, qvod poſt funera duret opus.*
Rhodmanum *dixêre olim Germaniæ Homerum:*
*Tu qvoq;, tu noſtri ſæculi Homerus eris.*

Georgius Laurentius Pulcherius
O egregius lauru nites pulchrius!

*Nomen habes pulcrum, qvod Apollinis alma dedo-*
*Numina: ſic nomen ſæpius omen habet.* (*runt*
*Pulcra canis pulcrâ digniſſima carmina Lauru;*
*Qvâ tibi* Pontanus *cinxit honore comas.*
*Qvæ decus ingenij, mercesq; laboris habetur,*
O lauru egregius pulchrius *ecce* nites!

Volfgangus Ulbecius
Fulgebo luſu, ac nugis.

*Errat & à vatum firmato jure recedit,*
*Et meritò vappæ nomine dignus erit.*
*Si qvis res prohibet veras involuere fictis,*
*Ac uti rerum ſimplicitate jubet.*

*Vatibus*

*Vatibus hæc ſolis permiſſa licentia claris,*
*Adſerit ut verſus, Flacce diſerte, tuus.*
*Qvi parvi facit hanc, titulo tenus ille Poëta*
*Eſt tantùm, & vates deſinit eſſe bonus,*
*Non ego ſic ſtatuo: decorato vertice Lauru*
*Cæſariâ id noſtri muneris eſſe puto:*
*Ut ſcriptis tradam jucunda & idonea vitæ,*
*Interdum & veris falſa remiſta canam.*
*Hinc* luſu ac nugis *ſolers* fulgebo *Poëta,*
*Non qvales pueris garrula fingit anus:*
*Sed qvas ſuppeditat mihi vena Poëtica, motu*
*Qvam regit ætherij Numinis aura ſue,*
*Sic ſe frugiferos extendit luſus in uſus,*
*Sic doctis nugis vera retecta patent.*

*AL.*

Volfgangus Ulbecius
Succus fulgebo lingvâ.

SUccus *ego Muſæ* lingvâ *fulgebo diſertâ,*
*Qvâ lepidos poſſum ſpargere ab ore ſonos.*
*Succus ut humanus membris innaſcitur almus:*
*Sic ſuccus doctis debet ineſſe metris.*

Simon Wiblitſius
Multis bonis vivis.

P*Lurima dum profers generoſæ munera mentis,*
Wibliti, multis vivis, *amice*, bonis.
*Candida amore foves & carmine pectora laudas,*
*Et pravos mxas, falſiloqvosq́ viros.*

 *Vive*

*Vive Deo, qvi multa tenet bona; vive Camenis,*
*Pluribus ut poſſis vivere, vive diu.*

Balthaſarus Timæus
Ah artibus Muſas alet!

M*Uſarum comites* ah *vates plaudite!* Muſas
Artibus *Aonijs ritè* Timæus alet.

Adamus Vollandus
Laudans Muſâ ludo.

LAudans Muſa *Deum præclaro carmine* ludo,
*Et qvicunq; viri carmine digna gerunt.*

Samuel Roſenbomius
En i Muſarum ſoboles!

EN i Muſarum ſoboles, *carisſima Phœbo,*
*Germine Daphnæo condecorata comas!*
*I rogo mellitis te verſibus inſer Olympo:*
*Muſarum ſuboles carmine perpes eris.*

Chriſtoferus Hœflichius
Huic Chriſto heros effulſi.

A*Tria qvi cœli linqvens hunc venit in orbem,*
*E Mariâ verus virgine natus homo;*
*Et pasſus propter totius crimina mundi,*
*In cruce probroſæ mortis adivit iter.*
Huic heros Chriſto, *Servatoriq; benigno*
Effulſi, *totus cujus amore flagro.*
*Huic fulgebo magis, Sacro Spiramine motus;*
*Qvo duce perpetuæ tempora lucis agam.*

Davides

Davides Heſſus
Hui ſedes, ſudas!

*Comiter exciperet cum me domus hoſpita Muſis,*
*Optato Bacchi munere, Jena, ferax:*
*Manè ſalutabam lætanti corde Poëtas,*
*Qvos inter Juri deditus* Heſſus *erat.*
*Volventi adſiduè numeroſa volumina Legum*
*Dulce fuit citharæ jungere grata mele.*
*Unde choro vatum generoſo junctus ovabat,*
*Tyrigetûmq; ſacro carmine lumen erat.*
Heſſe ſedes, ſudas, *dixi, nec inaniter horas*
*Fallis! ſudoris præmia certa feres.*

Joannes Georgius Hochſtaterus
O egregius honos in te ſat charus!

O Honor egregius ſat charus, Jane Georgi,
In te *laureolâ nobiliore micat.*
*Qvam juvenis meritus virtutis & artis amore*
*Dum Phœbo toties dulce meliisma ſacras.*
*Provenit unde viro tibi nunc uberrima meſſis:*
*Nec moritur virtus, ingeniiq; decus.*

Petrus Regaſt
Pergratus eſt.
Terſus Pergat.

ESt pergratus *ab Aonidum* Regaſtus *amorem,*
*Illius hinc Lauru cinxit Apollo comas.*
*Nunc* terſus pergat *modulari carmina vates,*
*Et ſit Apollinei lumen amorq; chori.*

Joachi-

Joachimus Sc(h)legelius
Ah luce è Muſis logicis!

M*Archia me, Sleſis cœlo te fovit amœno,*
*Numina Sarmaticis expoſuêre locis*
*Qvà Furia heu regnat, ſtygijs emiſſa cavernis;*
*Non una, at mirâ calliditate duplex.*
*Una negat Chriſtum, retinentem propria carnis:*
*Altera ſed verum non ſinit eſſe Deum.*
Ah luce è Muſis logicis, *& vana refelle*
*Somnia, qvæ profert litigioſa cohors.*
*Sic tua florebit laus, ſic florebit Olympo:*
*In laudes ſurget ſi tua Muſa Dei.*

Heinricus VValterus
Hic vir ſanè luſu viret.

WAlteri *jucunda legens meletemata, dixi*
Hic ſanè luſu vir viret *ingenij.*
*Unde reportavit Daphnæam jure coronam,*
*Et patriæ lumen dicitur eſſe ſuæ.*

Baſilius Damius
Lauda, Muſis abis.

C*Aſtalidum,* Dami, *Jovæq; canore ſacerdos,*
*Facta Dei* lauda, *carmine facta virûm.*
*Frunde Daphnes cinctus* Muſis *comitantibus* ibis;
*Et tua poſt cineres fama perennis erit.*

Caſparus Richterus
Hic ſat carus per rus.

TU meliore loco licet eſſes dignus, honore,
Et lautiore munere,
Richtere, Aonidum celeberrima fama ſororum,
Tuæ Friberga gloria.
In pago tamen arcano ſacra Numina ſedem
Dedêre manſuram tibi.
Gloria ruris, hic eſt ſat carus rus per amœnum
Poëta ruris cultor eſt;
Inqvit Apollo, meum cultorem in rure coronet
Daphne perenni gloriâ.

AL.

Caſparus Richterus
Hîc per aſtra curſus.

RICHTERI ingenium, diamq; Matheſios artem
Nobilis Uranie dum ſtupefacta videt;
Dixit honorandi ingenij pernicibus alis
Entheus hîc curſus celſa per aſtra patet.

Caſparus Bœlſchenius
Sis clarus Phœbus; cane.

BOLSCHENI, ſvavis decorat qvem gratia venæ;
Qvi non Heinrico fratre Poëta minor:
Sis clarus Muſis Phœbus, ceu Phœbus in arce
Ætheriâ exſuperat cuncta nitore ſuo.
Et cane cum dignis præclaro carmine Jhovam,
Qvo te poſt cineres vivere Muſa dabit.

Joaan.

Joannes Rudigerus
Grandis eo in verſu.

URbs Cala me Salæ genuit flaventis ad undas,
Clauduntur fines heic ubi Tyrigetûm.
Muſa ſed Aonijs puerum me nutrijt undis,
Et docuit blandæ plectra movere lyræ.
Grandis eo in verſu *Lyricoq; Poëmate vates*:
*Inde mei ſurgit nominis altus honos.*

Joannes Burmeiſterus
Verènitens Muſa orbis.

ARbitror hem manes in te tranſiſſe Poëtæ,
Cui ſtat cum ſummis martia lis vitijs.
Tàm benè mutaſti ſacris Epigrammata metris,
Burmeiſtere, *decus nobile Caſtalidum!*
Verè Muſa nitens *Lunæburgenſis es* orbis;
*Qvem fetu ingenij perpetuante beas.*
*Qvidqvid habet chorus antiqvæ gravitatis honorum;*
*Qvidqvid habet Plauti Muſa venuſta ſalis;*
*Qvidqvid habet Venerum & Charitum domus enthea*
*Hoc omne in cerebro credo habitare tuo.* (*Phœbi.*
*Sic tibi (perge Dei facta ingeminare canore)*
*Stet promta a votis Muſa Venusq; tuis.*
*Sic tibi perpetuam ſacra donent carmina famam;*
Verè Muſa nitens *urbis &* orbis *eas.*

Jonas Engelius
Laus es ingenio.

LUſibus ingenij doctis dum qværis honorem,
Angele, *laurigeris inſinuate choris:*

Judici-

*Judicibus Muſis, Phœbi, vatumq́ bonorum*
Laus es, *amice, bono nobilis* ingenio.
*Quam parit ingenium, penitrabit ad extima mundi,*
*Mœnia, laus ullâ eſt nec peritura die.*

Valens Cremcovius
En ocule! Muſis cura.
Valentinus Cremcovius
En lumen! criticus ova.

CREMCOVI, *qvis te Phœbo Muſisq́ locutum*
*Digna neget? livor metra tua ipſe probat.*
En ocule *es* Muſis cura! *egregijsq́ Poëtis*
Ænlumen! criticus *nomine clarus* ova.

## AL.

Valentinus Cremcovius
En nites! vivas corculum.

EN *virtute* nites, Cremcovi *dulcis, & arte,*
*Donis potentis ingenI.*

Michael Cleinovius
Io hic lumen ſæculi!

DIcite io Muſæ! *metagrammaq́ ferte venuſtum*
*Veſtro Poëtæ nobili.*
Cleinovio; *Daphnes imponite ſerta canentes:*
Hic lumen *hujus* ſæculi *eſt.*

Samuel Prætorius
Vir, Sol, pater Muſæ.

NOn tantùm populo tradis myſteria verbi
Sed qvoq;, Prætori, dulce meliſma canis.
Tu Sol & pater es, Samuel, vir candide, Muſæ;
Finge melos: nomen Muſa celebre dabit.

Joachimus Prætorius
I citharâ pio more uſus.

O Streburga tibi natales præbuit ortus;
Arte tuâ dignum non dedit illa locum.
In patriâ gratus rarò ſolet esſe Poëta:
Tale ſolet fatum vatibus esſe ſacris.
Grata tamen dulceis præbet tibi villa receſſûs,
Inter & argutos carmina fingis aves.
Ipſe ſuæ citharæ concesſit plectra canenti
Cynthius; hinc laudem cur merearis, habes.
I Citharâ, Joachime, pio feliciter uſus
More; Poëtarum qværere perge decus.

AL.

Joachimus Prætorius
Jhova prior amicus eſt.

STirpis in humanæ (ſacra cantat pſaltria vatis)
Subolem ſpes ponere vanum.
Non fore, crede, licet juret per numina cœli,
Tibi tempus in omne fidelem.
Qvi fuit, & nunqvam cesſabit fautor, amicus
Prior eſt tibi Jhova fidelis.
Lætus ad hunc, ſi quæ ſint ærumnoſa, relega;
Mutabit hic aſpera lætis.

Omnis

*Omnis amicorum qvare, qvos continet orbis,*
*Valeat malè grata ſupellex.*

*Aliud.*

Joachimus Scultetus
Hic totus à Muſis luce.

S*CULTETI Veneris meletemata Phœbus in urbe*
*Vidit ut egregijs nobilitata typis:*
*Qvis novus, inqvit, olor vicinis cantat in agris?*
Totus hic à Muſis luce *nitente ſatus.*
*Lux Eoa ſuos tamdem cognoſcat alumnos;*
*Gratior his poſthac præbeat hoſpitium.*

*Aliud.*

Joachimus Prætorius
Jova ſacer portus mihi.

JOva ſacer portus mihi *toto tempore vitæ*
*Adſit, in ærumnis certa medela meis.*
*Ergo mihi invideat frendens cum Dæmone Mundus:*
*Nulla tamen vitæ damna timenda meæ.*

*Aliud.*

Joachimus Scultetus
Hic Muſis lectus ovat.

L*Ectenovenarum, SCULTETE, Poëta ſororum,*
*Carmine dulciſono qvi modulator ovas:*
*Audijt Orpheum modulantem carmen Apollo,*
*Qviſqvis & eſt* Muſis lectus hic, *inqvit,* ovat.

Georgius Prætorius
O ego pergratus viris!

E*St mens fida mihi, nullius conſcia fraudis;*
*Nec mihi grata unqvam lingva bilingvis erit.*
*Hinc hominum mihi concilio candore favorem;*
O ego pergratus *ſum pietate* Viris!

Georgius Prætorius
O gravis, peritus rego!

ARdu⁹ eſt labor, indomitā regere arte juvetā;
Non nimiūm lenē, nec rigidū eſſe decet.
O gravis *arte, & in informandâ pube* peritus,
*Præceptorq́ʒ bonus corda tenella* rego!

Andreas Henæus
Ah venâ es ardens!

ARdens ah vena es! *qvam Muſa polivit*, HENÆE;
*Lauriger in Lyrico carmine victor ovas.*

Vitus Sebaldus
Dius luſus beat.

E*Fſingis divina mele: te, VITE, Poëtam*
*Ingenij* dius luſus *in orbe* beat.

Henricus Julius Strubius
Hic virtus luſibus virens.

HIc virtus *laudata*, virens; *qvæ* luſibus *aptis*
*Nomina doctorum, dignaq́ʒ facta canit.*

Lau-

Laurentius VVagnerus
An Lauru ſurgens vivet?

AN Lauru ſurgens vivet *Wagneria proles?*
*Pieridum cultor non dubitare poteſt.*
*Si qviſqvam Lauru dignus meletemate vivet:*
*Funera Wagneri Muſa ſubire neqvit.*

Heinricus Strombergius
Curis merè bonis ſurgit.

C*Um tua Belgarum fama inclareſceret oris*
*Cunctis, ob artem metricam;*
*Aönidum totus tibi grex adplauſit, & inqvit:*
Curis merè ſurgit bonis.
O *ſurgas curis, qvas mons Heliconis amœnus*
*Offert tibi, Strombergides.*

Nicolaus Girmarus
Clarus Io inſurgam!

S*Ic introducunt jam te, GIRMARE, loqventem.*
*Pierides: vatem me ſacra Muſa facit.*
Clarus Io inſurgam *Lauru Penëide cinctus!*
*Complebo Famâ Solis utramq; viam.*

Johannes VVernerus
Ohe in verſu vernans!

P*Ulcer* ohe in verſu vernans, *Wernere, Poëta es!*
*Vernat ut in viridi flos peramœnus agro.*
*Floribus Aönijs verna, nec pulcra reconde*
*Munera Pieridum: carmine vivus eris.*

Salomon Codomannus
Sol dono Muſam cano.

SOl *juvenum* dono *Clariô* cano *carmine* Muſam;
*Perpetuâ qvæ me laude beare poteſt.*

Michaël Neudorffius
I lumen, ah decus fori!

D*Ulcis amor Muſæ & Themidos: dat lumen uterq;*
*Egregium famæ præſtat uterq; decus.*
*Cum Muſis dudum te Phœbus honore beavit,*
*Laurea qvando tuis præbita bina comis.*
*Nunc magis ad cœlum ſtudium te nobile juris*
*Tollit, & eximium te facit eſſe virum.*
*Longum iter, excelſam Themidos qvod ducit ad arcem,*
*Vivida ſed rebus gloria calcar adeſt.*
I lumen *patriæ, qvò te vocat ardua virtus,*
Ah decus *es rigidi non ſine laude* fori!
*Dum tua obumbravit viridanti timpora Lauru,*
*Perpeteq; effecit flore virere Themis.*
*Interea clareſce diu, ſis omine felix:*
*Utere & his lætus, qvæ bona fata ferent.*

Hoc Anagramma in 3. lib. poni debebat.

Georgius Martinus
Io magnus reſurgit!

I*Nnumeros multâ florens virtute Saganum*
*A doctâ claros protulit arte viros;*
*Pieridum ſacros qvi luſtravêre receſſûs:*
*Qvos inter, tamqvam flos, ô amice, vires.*

*Dici-*

*Dicite* Io *Muſæ! dum* Magnus *ab arte* reſurgit,
MARTINUS, *Phœbi gloria, veſter honos.*

*Aliud.*

Georgius Martinus
Surgit Maro vigens.

*QVale decus profert tellus, cum frigora brumæ*
*Temperies veris pellit, & arva colit:*
*Tale meus* MARTINUS *ovans vel plenius edit,*
*Vel melius, verſu ſeria ſive canat:*
*Sive tuas cantet,* GELOMELA *venuſtula, laudes,*
*Et fingat lepidis carmina mixta jocis.*
*Aſpera barbaries redeat, valida arma capesſens;*
*Surgit, & ad pugnam ſe parat arte novam.*
*Laudibus ille* vigens *Clarijs* Maro ſurgit *in arvis;*
*Ille tuum ſurgit, Sleſia clara, decus.*

Paulus Cragius
Pulcra agis uſu.

*GLoriæ qvoscunq; fames inanis*
*Vexat, adplauſu populi moventur,*
*Ut tuas tentent Lycophron Camenas*
*Numine plenas.*
*Hos minùs dictum Lyrici Poëtæ*
*Aureum à tali retrahit labore:*
*Ne qvid invitâ faciant Minervâ,*
*Incipiantvè.*
*Te* CRAGI *ducit Clarij voluntas,*
*IngenI felix calor elegantis,*

*Ut typis mandes Anagrammatiſmos,*
*Arte politos.*
*IngenI flammasq́ʒ tui magiſter*
*Artis exornat, fovet, auget uſus:*
*Hinc novem ſub præſidio Sororum,*
Pulcra agis uſu.

*Aliud.*

Paulus Cragius
Pulcrâ gaviſus.

F*Auſtiter ô* pulcrâ gaviſus *virgine vivam!*
*Nox mihi ſit mediâ clarior ipſa die.*
*O auræ! ô flammæ vis indiviſa beatæ!*
*Vita puella mihi, lux V*ENUSINA *mihi.*

Joannes Breithorius
O viri nitores habens!

A *Virtute virum deduxit priſca vetuſtas,*
*Qvòd vir virtutis debeat eſſe comes.*
*Virtutis comes es, fautor dilecte,* nitores
*Vi virtutis* habens, *perpete laude,* viri.
BREITHORI ô, *longùm Clarios extende nitores:*
*Sic tibi virtutis floreat uſqʒ nitor.*

Matthæus Ruedigerus
Tu vatum geris hederas.

S*Cilicet haùt fallunt noſtram præſagia mentem,*
*Et mens acta D.E O ſæpè futura videt.*
*Sic fore prædixi, patriæ te lumen in oris,*
*Lauriferæ & magnum frondis honore virum.*

Spem

*Spem firmam minimè ventirapuêre per auras,*
*Hanc ſed firmârunt Numina trina DEI.*
*Nam Jovis arbitrio data ſunt inſignia vatum,*
*A primis annis mente petita, tibi.*
*Jucundas* Vatum *lauros* hederasq́; *virenteis,*
RUDINGERE, *tuis* tu geris *ipſe comis.*
*Non ederas tantùm, galeâ es donatus apertâ,*
*Qvam ſtellæ decorant, acer & ornat eqvus.*
*Non aurô, at laurô, non Marte, ſed arte, paratus,*
*Sic tibi perpetuus nobilitatis honor.*

Petrus Neomarcius
Carmine purus eſto.

C*Ynthius ut Lauri* NEOMARCO *ſerta dediſſet;*
*Dans vireis,* eſto carmine purus, *ait.*
*Nec mora: præluſtris dat opimam Laurea frugem;*
*Et puro plenum carmine prodit opus.*

Joannes Saubertus
En vates ornabis!

EN, SAUBERTE, *ſacrô qvam nactus Apolline,* vates
Ornabis *Spartam perpete fruge tuam!*

Michaël Neuman,
En hic lumen, amor!

NEUMANO *Phœbus cum Laurũ imponeret, inqvit:*
En hic *Pieridum gloria,* lumen, amor!

Daniel Arnoldus
Ille adornandus.

ILle ARNOLDus adornandus *Daphneide Lauru,*
*Phœbus ait; noſtrô munere dignus erit.*

Fridericus Herda
Fide curris hederâ.

HERDA, fide *Clariis* hederâ *præcinctus in hortis*
Curris, *& hinc metricâ clarus in arte micas.*

Samuel Papenius
Planè pius è Muſa.

E Muſâ planè pius es, *PAPA clare: Poëtas*
*Exornat Pietas; qvâ ſine langvet honos.*

Joachimus Berlinus
Hicnè laus urbis? Imò.

HIccène laus *parvæ fuit* urbis *honora paternæ?*
Imò: *nam Lauru duplice cinctus erat.*

Valentinus Lange(h)anſius
Ingens Latinus, Laus venâ.

INgens *inſurgis, Muſâ teſtante,* Latinus;
*A Phœbi* venâ laus *operoſa manet.*

Valentinus Arithmæus
Hui Muſâ eſt leni naturâ.

H*Oſpes ut ingrederer Viadri feliciter urbem,*
*Pruſſorum referens è regione pedem:*
*Dulcis* ARITHMÆI *ſubito me Muſa ſalutat,*
*Mittit & Aöniis carmina ficta jugis.*

Demi-

*Demirabar:* Hui Muſâ eſt *ſvaviſſima* leni
Naturâ, *Elyſio lux nova nata ſolo!*
*Vivat Io! & vigeat tam pulcri carminis auctor;*
*Daphnide cui meritò cinxit Apollo comas.*
*Sic chorus Aönidum mecum: Tua laurea creſcat,*
*Docte* V A L E N S, *fructûs exhibitura ſuos.*

Valentinus Preibiſius
Is lenis, venâ purus ibit.

C*Um tua,* P R E I B I S I, *jucunda poëmata Phœbus*
*Aönidum legeret fauſta canente choro:*
Is lenis, venâ purus *P R E I B I S I U S* ibit,
*Dixit, & impoſuit Delphica ſerta comis.*
*Macte novis titulis, laudes extolle Jehovæ,*
*Et dignos celebra: carmine clarus eris.*

Valentinus Forſter.
Tu nitens fer lauros.

H*Actenùs haùt Chalcis produxit amœna Poëtam,*
*Qvi Lauri cinxit timpora docta comis.*
Tu *FORSTERE,* nitens *præclaræ laudis honore,*
Fer lauros, *capiti qvas dat Apollo tuo.*
*Gloria Smalcalidos mea es; tua fama virebit:*
*Parnaſi donec gloria Laurus erit.*

Joannes Schraderus
Hic ornans ederas.

SCHRADERI *cernens meletemata Cynthius, inqvit:*
*Hunc ederâ vatem cingite Pierides!*

Hic ornans ederas *noſtros ornabit alumnos*
*Carmine, cui laudem poſtera ſæcla dabunt.*

*Aliud.*

Joannes Scraderus
Sincerus orna Deas.

SIncerus, *SCHRADERE, vires, ſine fraude doloq́;*
*Pierias* orna *carminis arte* Deas.
*Sic tua perpetuo florebit tempore fama;*
*Eglaq́ parva tuo nomine major erit.*

Joannes Acanthis.
Ah Naſo canis! nite.

Z*EISINGI, qvoties citharam tibi donat Apollo,*
Ah *lætare*, canis Naſo! *Poëta* nite.

*Aliud.*

Joannes Ceiſius
I cane Jeſu ſonis.

E*St pia res, numeris in CHRISTI ſurgere laudes,*
*Factaq́ amabilibus magnificare ſonis.*
*Candide JANE, tuâ feliciter utere venâ,*
*Et* Jeſu *metricis* i cane *facta* ſonis.
*Sic gratum laudis tua Muſa merebit aroma;*
*Præmiaq́ in cœlis uberiora feres.*

Jacobus Cliſius
Sic Clio abis uſu.

C*Aſtaliô, CLISI, manat tua Muſa liqvore,*
*Labitur ut rivus lenè fluentis aqvæ.*
Sæpius artificem facit uſus; *ludere pergas:*
uſu Clio *carmine mitis* abis.

Marti-

Martinus Porſæus
An Muſis ortus? Pare.

*INgenium, moresq; tui, MARTINE, venuſti*
*Te fecêre meum, candor, & artis amor.*
*Fallor* an *à* Muſis *in Pindi montis es* ortus
*Culmine? tàm dulci carmen ab ore fluit!*
*Tu* pare *Muſis, PORSÆE, chelynq; ſonantem*
*Perge movere; Deum pange, Deosq; chely.*
*Hinc tibi virginiâ cinxerunt timpora Lauru*
*Pierides; doctô carmine clarus ovas.*

*Aliud.*

Martinus Porſæus
Porta Muſis vernans
O Muſis pars vernat!

*QVi* Muſis vernans *eſt* porta; ô *Numine dextrô*
Pars *iterum* Muſis vernat, *honore nitens.*

Severus Cverntenus
En unus verſu certes!

*PAlladiâ dum te Lauru prævelat Apollo,*
*Hêic ubi Caſtalios monſtrat Hiera lacus:*
En unus verſu certes, *QVERNTENE, politô;*
*Qvem coqvat adſiduô multa labore dies.*
Omnia dum pereunt patulus qvæ continet orbis,
Immortale decus docta Thaleia parat.

Casparus Macragathus
Ah gratus campus ſacrâ.

*Campus*

*Campus ut innumerô florum delectat odore,*
*Et gratus ſpecie verſicolore nitet:*
*Haût aliter profers dum carmina ſacra, Caménâ*
Ah gratus ſacrâ campus, *amice, fragras.*
*Perge Deum duplici dignosq́; extollere plectro:*
*Sic tua florebit Laurus odora diu.*

Valerius Cimmermannus
Muſarum is lumen in arce.

*Cynthius ut vidit leni tua carmina ductu*
*Svavia, qvæ Clarij plena liqvoris erant:*
*Protinus exclamat:* Muſarum is lumen in arce,
*Si flos ingenij fructificabit, erit.*
*ZIMMERMANE, ſacras igitur ne deſere Muſas:*
*Sic patriæ exiguô tempore lumen eris.*

David Mylius
Suda diu, Myli.

*Præclari ſuboles ô ingenioſa parentis,*
*Qvod facis, ad Muſas currere perge viam.*
*Docte,* diu ſuda, Myli; *ſudoribus alta*
*Parnaſi poſſis qvò ſuperare juga.*
*Ingenuas conjunge pijs cum moribus arteis:*
*Sis patris felix æmulus arte tui.*
*Optimus Aönidum evadas ut honore ſacerdos,*
*Serta relaturus floridiora Daphnes.*

Andreas Gusſovius
O ſudas, venâ ſurgis!

*O do-*

O *Docte Aönidum, GUSSOVI, cultor in arvis*
*Dum* ſudas, *Clarijs, & grave carmen amas;*
*Pectoraq́, exhilaras fluidæ dulcedine venæ:*
*Creſcet honorandi nominis altus honor.*
*Nempè Poëtificâ* ſurgis *cum lumine* venâ;
*Uſibus hanc crebris excole: clarus eris.*

*Aliud.*

Andreas Guſſovius
Grandis es, uſu ovas.

GRandis es, *ANDREA, Latio ſeu pectine ludis,*
*Seu Grajam mavis increpuiſſe lyram.*
*Qvi facit artifices crebro feliciter* uſu,
*Aönij plenus fonte liqvoris,* ovas.

Conradus Huneman.
En humanus candor!

QVi *converſatur tecum, CONRADE, videbit*
*Mitia qvòd reddant pectora Caſtalides.*
En *oculis pietas*, humanus *pectore* candor,
*Emicat! heîc ſedem gaudet habere Charis.*

Hermannus Goc(h)uſius
En ſic humanus ſurgo!

DUm *Sophiam Themidi jungo, Muſasq́, politas;*
*Æternum pariunt qvæ decus ingenio:*
En ſic humanus *virtutis & artis amore*,
Surgo! *meusq́, ſacro carmine vivet honos.*

FINIS LIBRI V.
Plejad. Anagram.

# BARPTOLEMÆI BILOVI

## PLEJADUM ANAGRAMMATISTICARUM

## *LIBER VI.*

Rodolfus Goclenius
Olor, cui fulgens dos.

H*Aſſiacos cantas præſtans* Olor *inter olores,*
*GOCLENI, princeps gloria Philoſophûm:*
Cui fulgens dos *eſt artis, ſvadæq́ medullæ:*
*Æternùm vivas non moriturus olor.*

*Aliud.*

Rudolfus Goclenius
O dius fulgor lucens!

O Dius fulgor *lingvis & in artibus àte,*
*GOCLENI,* lucens *commoda mille parit.*

VVolfgangus Heiderius
Ah dignus fulgore vives!

Q*Vem Schola præconem Sophiæ Salana celebrat;*
*Qvemq́ Poëtarum candida turba colit;*
*Et propter dotes ſinceræ mentis honorat,*
*HEIDERE: Aöniſin te cano jure meis.*
Ah dignus *Charitum* vives fulgore *perenni!*
*Nec tua fama nigræ conſcia mortis erit.*

Davi-

Davides Origanus
I dius noda graves.

FElices homines, cœli cognoſcere motum,
Multiplicem qvibus hæc unica cura fuit;
Et varios Solis curſus Lunæq; labores
Præcipuus qvorum volvere mente labor.
Illos, qvis dubitat, mentis velocibus alis
Excelſas superûm pervolitâſſe domos?
*Horum, tu qvoniam veſtigia fixa ſecutus,*
*Inſignis tandem factus es Aſtronomus.*
I dius, nodaq; graves *molimine nodos*
*Ingenij, nectit qvos tibi cura poli.*
*Interea trinæ, Fatô adſpirante, ſorores*
*Connectant vitæ ſtamina plura tuæ.*

*Aliud.*

Davides Origanus
Gravia dius nodes.

*ARmis diſceptet miles, ſed juris alumnus*
*Verbis, & raſtris vertat arator humum.*
*Tu* nodes dius gravia *ex indagine cœli*
*Fatidici doctâ mente futura notes.*
*Heu mihi qvàm paucis concedunt Numina, cœli*
*Debile ſideribus implicuiſſe caput!*
*Hoc cum permiſſum tibi, Rector Atlantis & illud*
*Det, ſcandas ſuperûm tecta beata Fide.*

Joannes Sc(h)oſſerus
En ſic roſa es, ſonus!

*ELoqvij vis eſt, & gloria maxima, cedit*
*Cui meritò forti Marte paratus honor.*
*Qværitur hic hoſtis profuſo ſangvine noſtri,*
*Aſt inimicorum cædibus illa caret.*
*Hunc ſors, & gelidæ ſubeunda pericula mortis,*
*Illam ſed ſolitâ pace Camēna parit.*
*Hujus in illuſtri dum das præcepta Lycéo,*
En ſic *pulcra* roſa es, *Pieridumq́;* ſonus!
*Dulcis & eloqvij per campos ire parenteis*
*Dum mirâ juvenes ſedulitate doces:*
*Ipſemet ad veros celeri pede tendis honores,*
*Præclaras TullI qvi comitantur opes.*
*Hinc ſis Pieridum roſa cùm gratiſſima turbæ,*
*Gratior ætherio ſis roſa pulcra choro.*

## Chriſtoferus Neander Rhetor fer decus annis.

FLuminis inſtar abit numqvam revocabile tempus,
Hora fugit, punctum temporis omne fugit.
*Hoc ſed præcipuè remanet memorabile, mentis*
*Dotibus illuſtres qvô viguêre viri.*
*Nonne ſuo Marcus ſplendorem Tullius ævo*
*Attulit, & Latij gloria ſumma fuit?*
*Doctus Ariſtoteles Sophiæ celeberrimus auctor,*
*Nonne ſuo ſæclo lumen & ipſe dedit?*
*Cum natura parens ſimilem te fecit utriq́;,*
*Ingenio hoc tempus nobile redde tuo.*

Fer decus *ac* annis, Rhetor *clariſſime, noſtris:*
*Sic precor ut felix nomen in omen eat.*

*Aliud.*

Chriſtoferus Neander
*cum lugeret obitum parentis ſui.*
En dura ferens Chriſto!

I*Nvida fata tibi qvoniam rapuêre parentem,*
Chriſto en dura ferens, *omnia vince mala.*
*RODENTES NISU FER CURAS: Numinis almi*
*Mens fuit hæc, numqvam qvæ revocanda venit.*
*Aſpera vis ſiqvidem rigidæ domat omnia mortis,*
*Tollere ſveta bonos, tollere ſveta malos.*
Qvicqvid ſors adfert & inevitabile Fatum,
Æqvô (crede) animô ſi patiare, leve eſt.

Calebus Trygophorius
Phœbo gratus Lyricus.

E*X Helicone volans ripas veniebat ad Odri*
*Phœbus, viſurus dedita corda ſibi:*
*CALEBUM cernens, en hæc, ait, accipe plectra,*
*Plectra qvibus moveas robora, ſaxa, feras.*
*Plectra ſonant ſubitò, ſonitusq; fuêre probati,*
*Qvisq; probat, reliqvos mens ſuperare fuit.*
Gratus *ut es* Lyricus Phœbo, *ſic grata, CALEBE,*
*Carmina dum pangis, pectora pura feris.*
*Perge, CALEBE, lyræ radiantia tangere fila:*
*Gratus eris Phœbo, dum lyra pulſa ſonat.*

Nicolaus Rislebius
En i Salus urbis, loci!

*Qvi ſummum decus es Soltqvellâ Conſul in Urbe RISLEBI, Clario vir benè note choro:*
*Dum te prima tenet communis cura ſalutis,*
*Sortitur vireis hoc Anagramma ſuas:*
En i *blanda* Salus urbisq́, lociq́, *paterni!*
*Fata ſinant opto te ſupereſſe diu.*
*Conſule te multùm Reſpublica patria creſcat,*
*Et capiat ſummum, te moderante, decus.*

*Aliud.*

Nicolaus Rislebius
Laus urbi es, incolis.

*Urbs felix, non qvæ congeſtis undiq́, vallis,*
*Altiſſimis & mœnibus,*
*Civibus optatæ promittit munera pacis,*
*Et terret hoſteis turribus:*
*Sed qvam Pieridum galeâ inſignitus apertâ,*
*Regit Senatus providus.*
*Nil qvia tàm firmum, qvod non diſcordia turbet*
*Interna miſerè civium,*
*Ac merito & pietate gravis, virtutis & amplis*
*Ornatus inclutæ bonis.*
*Seditio in magno populo cum gliſcit, & arma*
*Furor miniſtrat horrida,*
*Inflammata regit, dictis & pectora mulcet,*
*Pacis renovat & fœdera.*

Tem-

*Te talem qvoniam, Vir ô clariſsime, præſtas,*
*Tu* Laus es urbi, *&* incolis.
*Qvin magnis Phœbi donis cumulatus abundè,*
*Decus tueris patriæ.*
*Hinc tibi ſácta DICE favet, hinc bonus incola plaudit,*
*Rectore te qvi jubilant.*

Arnoldus Bierſtedius
Indies labor durus eſt.

*TE vix eſt gravior, te vix prudentior alter,*
*ARNOLDE, nec tamtum tenet curarum onus:*
*Sed velut è ſpeculâ caſus, biemesq; futuras*
*Vides, & arte temperas clavum tuum.*
*Expertus ſatis es, patriæ fidisſime Conſul,*
Durus labor *qvòd* indies *& arctus* eſt.
*Et qvòd tota viri præduri vita labores,*
*Curæ graves, luctus, dolor, ſuſpiria.*
*Et tamen infracto tot perfers corde labores;*
*Polus dabit qveis digna tamdem præmia.*

Laurentius Riſebergius
Verè gratus libris venis.

*VIr Reverende, ſeges qvamvis uberrima laudum,*
*In te, virtutum qvas alit, ornat amor.*
*Verùm cum fratris mihi junctus amore, Thaleia,*
*In laudes parcum me jubet eſſe tuas.*
Merx precioſa nimis noſtrâ non laude vehenda,
Congeries laudum maxima ficta nocet.
*Sed tamen ut paucis delibem paucula verbis,*
*Eſt ope Muſarum gloria parta tibi.*

*Turcorum qvando divulgas prælia libris,*
*Res Gallis geſtas, arma virumq́ canis:*
*Inde* venis veré libris, *vir optime*, gratus,
*Perithoi nobis conſociate fide.*
*Ede libros, ſociæ haùt, proles ſed docta Minervæ*
*Expertem mortis te facit eſſe parem.*

*Aliud.*

Laurentius Riſebergius
Elige, una turris es urbis.

*SEdula ſicut apis collectis undiq́ florum,*
*Succis Hyblæos congerit ore favos.*
*Peſtiferas ducè naturâ prætervolat herbas,*
*Ne tactu capiat nigra venena ſuo:*
Elige *ſic tu vera Dei, ſed ficta refellas*
*Dogmata, qvæ virus non mediocre fovent.*
Unà *cum junctô Myſtâ ſic* turris es urbis,
*Unde Deo gratus thuris obortus odor.*
*Hæreſin armatam turris munita repelle:*
*Gratus eris Chriſto, Chriſtiadumq́ choro.*

Laurentius Oryzemontanus
*literâ z in* ſ *reſolutâ, &* y *in ſuo valore tantùm agnito.*
In monte lauri natus roſeus.

IN monte *es* lauri roſeus *cum* natus, *amœnas*
*Hinc tibi fert Phœbô Muſa jubente roſas.*
*Non qvaleis profert æſtivò tempore tellus,*
*Ardentis Cancri Sole petente plagas:*

*Sed qveis Lauriferi præcelſo in culmine montis*
*Perpetuò Aönidum lætus abundat ager.*
*Hiſce roſis pulcris, & lauri fronde virentis*
*Perpetuat doctos nexa corona viros.*

Joannes Scharlachius
*demtâ unâ adſpirat.*
An ſic clarus es? I Noha.

E*S Reverende tuo vir nomine notus ad aſtra,*
*Ceu Anagramma tui nominis illud habet.*
*Te qvia Muſa facit clarum lux almaq́ verbi,*
*Qvod ſine corrupto ſemine ritè doces.*
An ſic clarus es? *hîc immò clareſcis, & olim*
*Infinita tuæ copia lucis erit.*
*Doctores etenim, ſanctô referente Prophetâ,*
*Qvi ducunt populum voce ſonante Deo:*
*Labentis qvandò lux ingruet ultima mundi,*
*In cœlo clari luminis inſtar erunt.*
*Præluce poſthac populo pietate Jehovæ,*
*Ne capiat vireis nox tenebroſa ſuas.*
I Noha, *vive, caput canorum ſilva venuſtet,*
*In placidâ innumeros tranſige pace dies.*

Albertus Iſendorfius
Labor durus eſt, finies.

Q*Vottidiè multas tibi dat tua Curia curas;*
Laborq́ durus eſt *tuus.*
*At tibi JHOVA dabit robur, vireisq́ ſalubreis*
*Menti, ſalutem corpori.*

*Sic cum laude tuos, prudens ALBERTE, labores,*
*Deo favente,* finies.

## Joannes Mylius
## Aſylum in ſenio.

F*Idus adhæſiſti vitæ qvi tempore CHRISTO,*
*Cuiq; juventutem cura docere fuit:*
*Eſto tuis, præclare MYLI, ſolamen* aſylumq;
In ſenio, *Muſis anchora fida bonis.*
*In ſenio ſano tibi ſit ſervator aſylum:*
*Proroget hic vitam, & det benè poſſe mori.*

## Bartholomæus Löneiſen.
## O Sol! En lumen artis habeo!

O Sol *doctorum qvos culta Academia nutrit,*
*Qvam Clario lenis lambit Hiera lacu!*
En *fulgens* habeo lumen *multiplicis* artis,
*Qvæ vitæ nervus, fonsq; & origo boni eſt.*
*Accipit unde etiam vivax ſua ſemina virtus,*
*Imperijsq; ſuum ſervat in orbe decus.*
*Hinc modò commisſam fero dignus Epomida tinctam*
*Murice, & Aonium dirigo lege chorum.*
*Vive diu felix, applaudunt voce Camenæ;*
*Paxq; tuam ubertim viſat amœna domum.*
*Pieriæ donet parentia corda juventæ,*
*Cujus tutamen diceris eſſe, DEUS.*

## Johannes Rætius.
## I nitens roſa, have.

*Candida laudato ſicut roſa floret in horto:*
*In Clarijs hortis ſic roſa laude nites,*
*I floreq́ᵹ* nitens *culti* roſa *laude Lycéi;*
*Virtutum vario munere dives* have.

Martinus Montageus
Tun' iſte magnus Maro?

Tun' *rogo* magnus *es* iſte Maro, *Brandonis in arce*
*Qvem propriô fovit Calliopēa ſinu?*
*Tun' rogo carminis es ſvavis gravitate Sabino*
*Æqvalis, patrij qvi decus orbis erat?*
*Tun' rogo dignus eras dudùm, qvem virgine Lauru*
*Debebant meritò cingere Pierides?*
*Ergo, MONTAGI, patriæ nova gloria, dignum*
*Qvi Jove terrarum grande meliſma canis,*
*Dignus es æternis meritis & aromate famæ;*
*Qvemq́ᵹ canat vatum neſcia Muſa mori.*

Georgius Gigas
Gregi ſuo Gigas.

*Chriſtiadum dixit de te, Vir clare, caterva:*
*Ille* ſuo Gigas *eſt mente ſonoq́ᵹ* gregi.
*Allatrare lupum generoſa mente cruentum*
*Humani generis dum catus uſqᵹ ſolet.*
*Corde Gigantæo qvævis adverſa ferendo*
*Egregius Chriſto ſub duce victor erit.*

Conradus Bavarus
Vrbanus, carus odâ.

*Qui, BAVARE, ætheriam profiteris carminis artē,*
*Ringente invidiâ, tale Anagramma meres:*
*Moribus* urbanus, *lepidâ ſed* carus *&* odâ,
*Lipſiaca vates clarus in urbe nites.*

Marcus Hasſæjus
Jeſus ſacra Muſa.

JEſus ſacra *tibi* Muſa *eſt, HASSÆE: Davidis*
*In mera vertiſti Sapphica metra lyram.*
*Daphnæam dudum meruiſti carmine frundem:*
*Te ſerta in cœlis non peritura manent.*

°Sigiſmundus VVeicr
Dignus vivere Muſis.

*Dum, SIGEMUNDE, doces ſummâ cum laude Matheſin,*
*Pulcer ubi Clarias BRESLA refundit aqvas;*
*Stellarum inqvirens vireis cœliq; meatus,*
*Qvicqvid & amplivago corpore volvit Atlas:*
*Fallor? An Aönijs es* Dignus vivere Muſis?
*Carminibus vatum vivere dignus eris.*
*Munere Muſarum vivet tua gloria, donec*
*Magnus Atlas magnâ mole cadente cadat.*

Petrus Crugerius
Purè ſurget curis.

*Qvem pietas, virtus, Phœbiq; amor inclutus urget,*
*Curaq; doctorum nobilis Aöniſin:*
*Hic* purè ſurgit curis *ſpectabilis iſtis;*
*Linqvet humum ætherias ſcandet honore plagas.*

*Tu purè ſurgis, PETRE præſtantisſime, curis;*
*Nec tua in obſcuro cardine fama latet.*
*Namq; Mathematicus & vates optimus audis;*
*Muſa cothurnato carmine grata tua eſt.*
*Vive diu, ut posſis multùm prodesſe, MATHESI;*
*Dignaq; ferre viris carmina, digna Deo.*

Samuel Fabricius
Muſâ facilis, uber.

UBer es, & facilis, *FABRICI clarisſime*, Muſâ;
*Ingenij teſtes ſunt monumenta tui.*
*Uberiore fluunt qvoniam tua carmine venâ,*
*Pluribus hinc notum te tua Muſa facit.*

Gregorius Berſmanus
Sum ſanè robur gregis.

M*E florente viget Schola, me langvente, ſeneſcit:*
Robur *enim* ſanè ſum gregis *Aönij.*
*Luſtra tot annorum docui pia corda juventæ*
*Artis opes, lingvas, & ſine labe fidem.*
*CHRISTE mei robur cordis, portusq; ſalutis,*
*Me ſana, posſim robur ut esſe gregis.*
*Atq; ſenectuti morboſæ ſuffice vireis,*
*Molis ut impoſitæ pondera ferre qveam.*

Juſtinus Pertuchius
Vnus vivet ſcriptis.

V*Atis & Hiſtorici nomen cum laude meretur*
*PERTUCHIUS, duce qvô Porta docente viget.*

*Hic* unus vivet ſcriptis, *quæ publicat orbi:*
*Non etenim ingenij dant monumenta mori.*

Johannes Cajus
Have Sion, canis.

D*Ulcis* have Sion, *C A J*, canis *optime: Felix,*
*Cui datur in ſancto vivere monte Sion.*

Andreas VVilcius
Ludi curas evincas.

I*Nnumeras præbet Schola curas, atq; labores:*
*Gratia pro magno rara labore datur.*
*Tu* Ludi curas, *& pondera mille laborum*
Evincas, *W I L C K I, pectore magnanimo.*
*Mercedem qvam non tellus ingrata reponit:*
*Gratior hanc reddet divite dote polus.*

Hieronymus Ottonis
O hymno orſus nitet!

N*Ominis ecce tui qvod do, venerande Magiſter,*
*Sacra Thaleia mihi ſacrũ Anagramma dedit:*
O *qvoties* hymno nitet orſus *candidus O T T O,*
*Enthea magnifici dona canente D E I!*
*A prece ſeu hymno ceptus, feliciter omnis*
*Actio procedit; metaq; fauſta venit.*

Hermannus Ewaldius
Vir valdè humanus es.

Q*Vòd* vir es humanus valdè, *ſincere ſacerdos,*
*Hoc, HERMANNE, tui nominis omen habet.*

Zacha-

Zacharias Wennemeierus
Enhæc Muſa! Ars ei in verſu.

*ZACHARIA vates aris adjuncte ſacerdos,*
*Incluta qvem nobis Aſcanis ora dedit:*
En hæc Muſa! *legens tua carmina Cynthius inqvit:*
*Scilicet* in verſu *nobilis* Ars ei *ineſt.*

Andreas Bunovius
An vir bonus evadis?

*PUblica curarum qvantumvis pondera geſtes,*
*Curia qvas curis dat tibi fœta domus:*
*Uſq; tamen ſummo veneraris amore, BUNOVI,*
*Officijsq́; juvas pectora docta tuis.*
*De Muſis benè ſincerâ pietate mereris:*
An bonus evadis vir? *Metagramma placet?*

Andreas Funccius
Funde: carus canis.

*URbis Hieranæ, FUNCCI, digniſſime Conſul;*
*Carminis auctores qvi reverenter amas:*
*Dum favet Aönidum Clario tibi munere Præſes,*
*Phœbus, & in numeros promta Camēna venit:*
Funde *Deo, dignisq; viris meletemata:* carus
*Sic eris; apta viris dum* canis, *apta Deo.*

Joannes Aſſenburgius
Ingenioſus urbe ſanas.

*OStia cui Tanagræ finxerunt nomen, in Urbe*
*Sæpè Dei irati ſigna videre licet.*

*Dum ſecura omnis ſpernit plebs juſſa Jehovæ,*
*Atq; miniſterio rarus habetur honos.*
*ASSENBURGIADES patriâ* ingenioſus *in* urbe
Sanas *corda, ſacrum qvæ medicamen amant;*
*Nempè Dei verbo: medicamine fortius omni,*
*Qvi colit hoc, pœnas ſentiet ille minùs.*

## Valentinus Roſelerus
## Verè Sol nitens Laurus.

P*Ieridum, ROSELERE, decus,* Sol *patriæ es urbis*
Verè, *qvam celebrem reddis ab arte tuâ:*
*Sisq;* nitens Laurus; *precium virtutis; ad Odrum*
*Namq; tuis Laurum junxit Apollo comis,*
*Maxima Ariſtotelis qvoniam monumenta fuêre*
*Nota tibi exactâ dexteritate Sopho.*
*Pindaricos docto grandeis extollere follels*
*Muſa dat in Lyrico nomen habere choro.*
*Vatibus hinc ſacram meruiſti carmine Laurum;*
Sol verè *atq;* nitens Laurus *ut eſſe qveas.*

*Aliud.*

## Valentinus Roſeler
## En ille verſus ornat!

C*Alliope, ROSELERE, videns tua carmina, dixit:*
En ornat verſus ille *Poëta ſuos!*
*Dignus honore VALENS: ornatæ laude ſorores*
*Nectite lauricomâ timpora frunde viri.*
*Ille Leontinam cumulabit honoribus urbem;*
*Primus & in patriâ Daphnide dignus erit.*

Samu-

Samuel Crugerius
Vir Muſâ luces, ſurge,
Vel mirus Græcus.

VIr Muſâ luces, *cœleſtis Præco ſalutis,*
*Ingenij ad cœli ſidera* ſurge *bonis.*
*Sive velis Latio, vel pectine ludere Grajo,*
*Promptus es, & citharâ dulce Poëma ſonas.*
Vel mirus Græcus, *Muſis mirantibus ipſis,*
*CRUGERI, æternæ nomina laudis habent.*

Conradus Matthias
Hic Muſas dat, ornat.

*IN Muſæ legerem tua cum meletemata honorem,*
*Nominis occurrit tale Anagramma tui:*
Hic Muſas *Gieſſæ* dat, *easq; fideliter* ornat:
*Hinc feret à Muſis perpetuale decus.*

Juſtus Molitor
It Muſis ut olor.

IT Muſis *MOLITOR, Charitum gratisſimus hoſpes,*
Ut *cineres cernens, qvi benè cantat,* olor.

Joannes Cnoblochius
Anne ſic bonus, ô Clio?

*TEſtibus humanis, agitur res inter amicos*
*Qvando gravis, ſemper non adhibenda fides.*
*Sæpè qvis admittit perjuria, lingva peregit*
*Munus, ait, ſed mens libera noſtra manet.*

O Clio

O Clio *veneranda, tuis qvæ fallere neſcis*
*Dictis, huic adſis teſtis amica viro.*
*Egregium memora donum mihi cordis: at illa*
Anne bonus ſic *eſt, me qvod amârit, ait:*
*Artis Apollineæ ad præcelſa cacumina tendens,*
*Et ſeniô & patris dignus honore ſui.*

Joachimus Nereſius
Jeſu care mihi ſonus.

JEſu care mihi ſonus *es; te pectore & ore,*
*Et melicâ ſacri carminis arte ſono.*
*Voce meâ ſacri reſonant te pulpita templi;*
*Mens mea perpetuô flagrat amore tui.*
*Seu vigilare juvat; ſeu tradere membra qvieti;*
*Seu ſto; ſeu ſedeo; ſeu loqvor; aut taceo:*
*CHRISTE tuas meditor laudes; mihi ſit tuus uſq;*
*Gratus in aure ſonus, gratus in ore ſonus.*

*Aliud.*

Joachimus Nereſius
Io Muſis vires! cane.

E*Xtenuas tua, NERESI, meletemata; Apollo*
*Inqvit:* Io Muſis, *docte Poëta*, vires!
*Ulterius modò Memlæas* cane *carmen ad undas:*
*Nobile de Muſis ſic tibi nomen erit.*

Joannes Ermichius
Sic nomine vireas.

E*RMICHI, Sophiæ laus, Aönidumq; voluptas;*
*Qvo Schola Northuſæ Præſide floret honos:*

*Miſſa*

*Miſſa mihi jucunda tuæ monumenta Camenæ*
*Legi, qvæ Clarius laudat amatq́ chorus.*
*Ante fores ſtantem propera intromittere famam;*
*Et jungenda Daphnes præmia poſce comis.*
*Qvod tibi Muſa dabit,* vireas ſic nomine *celſo,*
*Ceu Sophiæ inſigni munere lætus eris.*
*Æternam pariet laurus tibi Delphica laudem:*
Nempe Poëtarum gloria morte caret.

Paulus Dolſcius
Ludus pius; colas.

E*St* Ludus pius *atq́ ſacer locus, optime* DOLSCI;
*Plantæ in qvo pueri Deo foventur*
*Cœleſtes, parient largæ qvæ frugis aroma,*
*Futura organa Flaminis ſacrati.*
*PAULE,* colas *ludum, Muſis ſacra corda docendo,*
*Qvamvis pulvereo labore plenum.*
*Nempe Deo in terris non functio gratior ulla*
*Exſtat, qvàm teneram docere pubem.*
*Prava licet tribuat malè gratus præmia mundus,*
*In cœlô dabitur benigna merces.*

Petrus Hechtius
Et hic purus eſt.

C*Ynthius ipſe, tuum legeret cum, PETRE, me-*
*liſma,*
Purus & hic *numeris* eſt *meus HECHTUS, ait.*

Joannes Aſſenburgius
En ſanus ſis, urge bona.

FElix, robuſto ſanus qvi corpore pollet;
Qvæ ſummâ bonitas laude vehenda Dei eſt.
Plenus amore Dei qvisqvis, felicior ille eſt,
In ſanô ſanam corpore fert animam.
En, Assenburgi, ſis *pectore* ſanus! *&* urge
*Numinis in laudes, utilia atq;* bona.

Petrus Mirſchæus
Muſis percharus eſt.

L*Ux & amor Muſis, & Stolpæ fama politæ*
*Rector juventæ ſedulus,*
*MIRSCHÆUS, Sophiæ myſteria novit & arteis*
Muſis *PETRUS* percharus eſt.

Jacobus Gebhardus
Civis habebo gradus.

S*Um mundi civis; fovet arteis qvælibet ora:*
Patria terra, mihi qvælibet eſse poteſt.
*At magè ſum lætus, cœtus qvod civis in agro*
*Sum Chriſti, & veræ carpo ſalutis opes.*
*Hinc Chriſti nixus meritis, à morte reſurgens;*
*In regno Chriſti* civis habebo gradus.

Timotheus Lautenſleger
Hem ut Sol altè ſurge, nite.

UT Sol *flammipotens* altè *conſurgit Olympo,*
*Irradians qvodvis luce micante ſolum:*
Hem *citharæ plectris ſic cœli ad ſidera* ſurge;
*Et famæ radijs, ô citharœde,* nite.

Petrus

Petrus Conradius
Tu percaris donis.

*CArus hic argento eſt; hic carus robore firmo;*
*Carus hic eſt grato frontis honore ſuæ,*
*Carus hic eſt aliјs fluxis donisq́; caducis,*
*In precio mundus qvæ periturus habet.*
Tu percarus *es Aönidum,* PETRE *optime,* donis,
*Dum Sophiæ Lauru timpora docta geris.*
*Hæc bona Dalmatico ſunt nobiliora metallo,*
*Annorum qvibus haùt ulla nocebit hiems.*

*Aliud.*

Petrus Coenradius
Vir ſanè perdoctus.

VIr ſanè perdoctus *es, id teſtatur amœnus*
*Bregela qvi titulis plaudit ovatq́; tuis.*
*Angrapa noſtra tuas miratur & Inſtera dotes,*
*Qvi ſtudijs præbent ocia grata meis.*
*Bregla dedit Sophiæ ſacram, det Apollo Poëtis*
*Laureolum: Canta tu modo,* PETRE, *melos.*

*Aliud.*

Petrus Conradius
In corde ſat purus.

*QVi Chriſti ſervat ſermonem corde fideli,*
In *ſanò* purus corde ſat *ille vir eſt.*

*Aliud.*

Petrus Conradius
Eſt purus candor.

EST purus candor, *PETRUS CONRAD9*, *imago*
*Et ſplendor Charitum, Caſtalidumq; decus.*
*Bregla Magiſterij dedit ipſi inſignia: Phœbus*
*Serta Daphnes vati non periturá dabit.*

Georgius Loth
O tu Sol gregi.

*ECqvid adhuc dubitas divam intromittere famam,*
*Pulſantem clauſas, optime LOTHE, fores?*
*Devehat illa ſuo tua qvò meletemata curru,*
*Per longos annos qvæ tua cura premit.*
*Namq; legens dixit tua pulcra meliſmata Phœbus:*
O tu, *LOTHE*, gregi Sol *es Apollineo!*
*Vivus honor vivum ſummâ cum laude coronet;*
*Qvam tibi defuncto poſtera ſæcla ferent.*

Martinus VValdavius
Vnus laus diva artium.

*URaniæ ſuboles, Phœbiq; colende ſacerdos,*
*WALDAVI, geminam docte movere chelyn:*
*Laudandus labor eſt tuus, ac induſtria felix,*
*Qvâ tenero inſervis non ſine fruge gregi.*
*Informas etenim magnâ cum laude juventam,*
*Et citharæ Phœbi tangere fila doces.*
*O MARTIN Eingens* diva & laus artium *es* unus:
*Unde magiſterij nomine dignus abis.*
*Pœonijs incumbe ſacris feliciter; olim*
*In Medicâ Laurus detur ut arte tibi.*

Petrus

Petrus Hagius
Ah pius ſurget!

*HAGIUS in lucem poſtqvam fuit editus, ecce*
*Gratatur Phœbus, Pieridumq́; chorus:*
Ah pius *Aönidum cultor, creſcentibus annis,*
*Ingenij donis* ſurget *ad aſtra poli.*
*Nec mora; ſublimem Parnaſi ſcandit ad arcem;*
*Ecce ſalutatur ritè: Magiſter hic eſt!*

Georgius Pauli
Agili pergo uſu.

*COntulit ingenij vireis mihi JOVA benignas,*
*Ut poſſim Clarijs invigilare choris.*
*Hoc duce, nunc* agili pergo *feliciter* uſu:
*Hoc duce fauſta mei meta laboris erit.*

Theodorus Victor
Hortus Deo vireto.

*ES, THEODORE,* Deo *longè gratiſſimus* hortus,
*Qvem ſacra cœleſtis Flaminis aura rigat.*
*Perge Deo cœlos plantare, rudemq́; juventam*
*Inſtruere; excellens arte* vireto *diu.*

Daniel Rubenovius
En vir valdè bonus!

*OMinis interdum ſi qvid Metagrammata portant:*
En valdè bonus *es* vir, *Rubenoviades!*

Georgius Agricola
Vocas; gregis gloria.

A*Gmina ſacra* vocas *ad cœlica regna docendo,*
*Quæ commiſſa tuæ ſunt fidei, AGRICOLA.*
*Chriſtiadum* gregis *hinc es* gloria: *divite fructu*
*Perge Dei clara voce vocare gregem.*

Petrus Bolduanus
O blandus & purus!

C*Ommendata mihi dudùm tua pura Camena eſt;*
*Viſa & lecta mihi, PETRE, magis placuit.*
O *qvàm* blandus *es*, & purus, *BOLDVANE, Poëta!*
*Dixi; adſenſerunt Phœbus, & Aönides.*

Andreas VVelſius
Laude vir es ſanus.

P*Ieridum, WELSI, cultor Jovæq́; fidelis,*
*Qvi pueris Clarij fers alimenta cibi:*
Laude vir es ſanus: *ſanum qvia dogma fateris,*
*Propter qvod qvondam paſſus es exſilium.*
*Tu gregis inſani clamores atq; boatus*
*Deſpicis, & Chriſtum verum hominem eſſe finis.*
*Te Deus in ſano conſervet dogmate ſanum;*
*Ut capiat ſanum culta juventa decus.*
*Orandus Deus eſt, ut ſano in corpore ſanam*
*Det mentem, & ſanæ Relligionis opes.*

Joachimus Caruſius
Jovi ac Muſis charus.

E*S magno charus Jovæ, Muſisq́;, CARUSI,*
*Denotat hoc pulcrè ceu Anagramma tuum*

*Omen*

*Omen ineſt verè: qvadrat in te nominis omen:*
*Rariùs ominibus falſa ſubeſſe ſolent.*
*Dum Themida obſervas fideiq́ rectiq́ ſororem,*
*Es carus juſto, vir venerande, Jovi.*
*Dum Sophiæ ſtudium coluiſti nobile, Muſis*
*Carus es, ac tribuit Philoſophia decus.*
*Qvid mage vis referam? poterit qvid gratius eſſe?*
*Ipſe* Jovi ac Muſis charus *es, & Themidi.*

Joachimus Gœbius
Ego ob jus amicus.

*HIc ob divitias in mundo vivit amicus,*
*Alter ob ingenij munera clara ſui.*
*Ob titulos alius, præclaræ & nomina famæ,*
*Ob metri hic, alius carus ob eloqvium.*
*Aſtræam venerans,* ob jus ego *carus* amicus
*Exiſto, & patriæ gloria magna meæ.*

Adelarius Cravelius
Vir clarus es à laude.

*GYmnaſij Francfurtenſis laus celſa, CRAVELI;*
*Qvi tenerum informas, non ſine fruge, chorum:*
A laude *egregiâ* clarus *virtutis & artis*
Es vir, *& à Muſis nobile nomen habes.*
*Hoc Anagramma tui mihi nominis augur Apollo*
*Dixit: honorifici nominis omen ama.*

Gotardus Artuſius
Sat gratus vir ſudo.

SAt gratus *Jhovæ* vir *ludi in pulvere* ſudo:
*Si neget hic mundus præmia, Jhova dabit.*

Sigiſmundus Evenius
En Muſis dignus vives!

D*Um ſtudijs Sophiæ perceptis, Marchica proles,*
*Cynthio & Aöniſin tu qvoq; digna canis:*
En Muſis vives *poſt funera* dignus, *EVENI!*
*Famaq; parta tibi neſcia mortis erit.*
*Tu modò victuris vivacia condere chartis*
*Perge mele; hinc laudis pullulat ampla ſeges.*

Chriſtoferus Sertorius
Ortus Chriſto fers vires.
*vel*
Vir es, fers ortus Chriſto.

ORtus *ut es* Chriſto, *cujus de nomine dictus,*
*Sic Chriſto* vires fers *tribuiſq; tuas.*
*Heroum in pueros Themidos dum ſemina jactas,*
*Pectora & illorum nobiliora facis.*
*Hinc qvia tàm claram potis es formare juventam,*
*Es veras meritus nobilitatis opes.*

Heinericus Bodendorfius
Hîc in rure bonus Deo fides.

Hîc in rure bonus, *qvâ te pia fata vocârunt,*
Fides Deo *fidiſſimo.*
*Ille dabit qvæcunq; petes, in nomine Chriſti,*
*CHRISTI miniſter ſedule;*
*Avertetq; tuæ qvæ ſunt nocitura ſaluti,*
*HEINRICE, fautor optime.*

Heine-

Heinericus Sc(h)ardius
En charus vir ſis Dice!

CLare Dices cultor, SCHARDI, fax alta Themiſtos,
Adſeſſor Veteri in Marchide Judicij:
Tabificus qvondam tua pectora luctus habebat,
Flebat & amiſſà conjuge tota domus.
At Deus in melius mutavit triſtia ſortis
Nubila, reſtituens commoda, rapta priùs.
Atq; redonavit claram pietate maritam,
Qvam genus & formæ nobilitavit honos.
Hoc tua promeruit virtus, doctrinaq; fulgens;
Inq; Deum Pietas, & ſine labe Fides.
Cuiq; ſuum tribuis jus ſummâ laude, favorem
Inde meres hominum, donaq; larga Dei.
Magne Poëtarum Mœcenas, optime fautor,
En charus vir ſis, qvam colis uſq;, Dice!
Fata tibi longos mea Muſa precatur in annos
Dextera; ſit gratâ prole beata domus.

Georgius (H)encejus
Regis uſu. En i, coge!

GYmnaſium vallis qvod ſaxea continet, uſu,
Vir præclare, regis, nec ſine laude doces.
Diſcipulos pluneis evexit ad æthera virtus,
Aſtrææ & Sophiæ qvi ſubière ſacra.
En i, coge gregem reliqvum, qvò doctus & ipſe
Fiat, & Aönidum tempore meſſis ovet.

*Aliud.*

Georgius Hencejus
Oh egregius vinces!

*SCeptra regenda gerit primi qvi virgea ludi,*
*Præ reliqvis meritò dignus honore ſuo.*
*Hic adoleſcentum nam corda tenellula primùm*
*Ad ſolidæ magnum præparat artis opus.*
*Ac veluti plantas Solis fervente calore*
*Aöniÿ liqvidis irrigat amnis aqvis.*
*Qveis cœli Rector vireis inſpirat ab alto,*
*Fœnore qvò fructûs uberiore ferant.*
*Ergo loco qvondam, præceptor amande, parentis,*
*Imbellis Muſæ dux venerande meæ;*
*Non oneri tu cede gravi, at conſtantior urge*
*Commiſſi officiÿ munia ſancta tui.*
*Jova tuæ dextram magnus cum jungat opellæ,*
*Divinamq́; tuis viribus addat opem.*
Oh *labor* egregius *ludi! benedicit Atlantis*
*Cui Rector, cœli cui ſacra turba præeſt.*
*His ducibus* vinces, *nullus qveis fortior, omne*
*Jampridem Herculeum, qvod Schola præbet, onus.*

Nicolaus Mœringius
Ingens olor, Muſâ vici.
O Clio, vir ingens Muſâ!

*Aliud.*

Nicolaus Mœring
Ingens Lauro mico.

Ingens

INgens *dicor* olor Muſâ, *qvâ Numine dextro*
*Barbariem* vici; *me beat artis amor.*
Ingens *hinc Sophiæ* mico Lauro; *celſa paravit*
*Qvam longo virtus feta labore mihi.*
*Caſtalis* ô Clio, Muſâ *æternante* vir ingens
*Dicar, ut à mortis funere tutus eam.*

*Aliud.*

Nicolaus Mœringius
En vinco gloria Muſis!

A*Lma Poëtarum mater Stendalia multos*
*Progenerat doctos & fovet arte viros.*
*Qvos inter fulgens* en vinco gloria Muſis!
Qvæ venit â Muſis gloria, digna venit.

Micaelus Mollerus
Muſicus alor melle.

Q*Vod Natura parens rerum produxit in orbe*
*Immenſo, id ſecum tædia ferre ſolet.*
*Qvantumvis juvenis vernans ardeſcat amore*
*Nymphæ, ſucceſſu temporis ardor abit.*
*Venter edax avidè qvamvis alimenta reqvirat,*
*Faſtidit tamdem fercula grata ſatur.*
*Aſt alimentorum, clarus qvæ præbet Apollo,*
*(Res mira) in doctis eſt ſine fine fames.*
*Has epulas optant, hoc nectar dulce reqvirunt,*
*Guſtandi cum ſit copia facta ſemel.*
*Hinc cum Pieridum primis nutritus ab annis*
*Ferclis, magna fames me tamen uſq; tenet.*

Muſicus *hinc* alor *& Muſarum* melle, *miniſtrat*
*Qvod largâ nobis dia Minerva manu.*
Divinos homines, Phœbo ſimilesqve, fruiſci
Mortali Ambroſiâ qveîs licet ore frui.

Joannes Carſtadius
Annota, carus es Dîis.

*CArus eſt qvicunq; Deo ſuperno,*
*Indiget non Martis atrocis arcu,*
*Nec venenatis jaculis, nec enſe,*
*Optime civis:*
*Sive per terras iter æſtuoſas*
*Indiæ facturus amœnioris,*
*Sive per fauceis maris Africani*
*Nave volabit.*
*Tutus eſt inter Daniel leones,*
*Dum ſuum cantat Dominum, repoſtos*
*Nec pios audent juvenes camino*
*Tangere flammæ.*
*Nec tibi vis ulla nocebit hoſtis,*
*Nec furor fervens Satanæ tremendi,*
*Nec venenato ſcelerata lingva*
*Tincta liqvore.*
*Nominis myſteria nam notanda,*
*Nunciant Jovæ tibi caritatem:*
Annota *hoc idcirco tui beatum,*
*Nominis omen.*
Carus es Dîis, *ac hominum catervæ*
*Regis ô felix ſuperi favore,*

*Qui valet, nonne ille vocandus omni*
*Parte beatus?*

*Aliud,*

Joannes Carſtadius
Vir natis ſana doces.

SAna docere ſuos in lingvis, artibus atqve
Religione ſacrâ, pondera laudis habet.
*Docte* Vir, *Aöniſin multùm dilecte Pelaſgis,*
Sana, doces, natis, *diſcipulisq́; tuis.*

Ortolphus Hernſvager
O plus urgens hortare!

*INcorrupta ſonet qvamvis vox enthea CHRISTI:*
*Attamen haùt curat plebs pietatis opus.*
*Siſyphiam pergas molem devolvere & uſqve*
*Vera docere rudem voce ſonante chorum.*
O plus *infirmos* urgens hortare *docendo!*
*ORTOLPHE, in cœlis te ſacra palma manet.*

Joannes Schuccelius
Hîc lucens canis; oves.

HIc *Arenſteti Paſtor primarius urbis,*
*SCHUCCELI,* lucens *enthea facta* canis.
*Nomen habens inter vatês cane carmine dignos;*
*Ætheriјs fuſè dotibus auctus* oves.

Bart(h)olomæus Bermelius
Melior uſus beat laborem.

B*ERMELI, Sophiæ nitens Magiſter,*
*Sacri dogmatis ô beate Præco:*

Sicut

*Sicut pernicies abuſus artis*
*Eſt omnis ſtudÿ, enecatq́; cunctam*
*Spem frugis melioris in labore:*
*Sic* uſus melior beat laborem,
*Qvalem ſidere dextero ſubÿſti,*
*Sacri dogmatis ô beate præco,*
*BERMELI, Sophiæ nitens Magiſter.*

Joachimus Schild.
Hîc Muſâ docilis.

Hîc Muſâ *eſt* docilis, *qvæ præmia grata laborum*
*Impoſuit doctis laurea ſerta comis.*
*Hæc Sophiæ merces: ob jura exculta coronam*
*Doctrinæ precium grande det alma Themis.*

Benedictus Cotta
Benè doctus citat.

A*uctores Latiæ* benèdoctus *COTTA loqvelæ*
*Arnſtadÿ in ludo, non ſine fruge,* citat.

Hieronymus Frobenius
Robur eo Muſis in fine.

Robur eo Muſis in *læto* fine *laborum,*
*Suſtinui in Phœbi qvos ego militiâ.*
*In Sophiâ merui victricis præmia Lauri:*
*Speranda eſt Medicâ Laurus in arte mibi.*

Thomas Fabricius
Oh fabricat Muſis!

Oh fa-

OH fabricat Muſis, *Thomas, qveis nomina ſumſit!*
*Inde ſui pulcrum nominis omen habet.*
*Nam fabricat bellum, Phœbo dictante, meliſma;*
*Et ſuperat plureis carminis arte fabros.*

Nicodemus Lappius
Pius Dominus place.

*QVi Sophiæ geſtas Laurum cultisſime* LAPPI,
*Vatibus & ſacrâ Daphnide dignus eris.*
*Tu* pius *es* Dominus, *Jovæ Phœbiq; ſacerdos;*
*Chriſticolis donis & pietate* place.
*Perge placere, pio qvas tollis carmine Muſis:*
*Hæ tribuent curis præmia digna tuis.*

Samuel VVagnerus
En à Muſâ ſurge luſu!

O*Rator bonus es,* WAGNERE, *bonusq; ſacerdos,*
*Et bonus es vates, dum metra docta canis.*
En, *moneo,* à Muſà, *famam qvæ nominis auget,*
*Ingenij* luſû ſurge, *bonisq; tui.*

Andreas Schaverus
Sanè Deus, ars cura.

A *Pueris* ſanè Deus *ac* ars *ſacra fuêre,*
Cura *mihi; curet me precor ergo Deus,*
*Et cinxêre licet me, mille pericula mortis,*
*Auxilio tamen hîc me juvat ille ſuo.*

*Aliud.*

Andreas Schaverus
Chare Deus ſana rus.

UNus & alter adhuc ſunt hoc in rure coloni,
Non curant ſanæ qvi pietatis opus.
Chare Deus ſana rus, ut meliore triumphet
Lumine, & haût vanos ſumat ad aſtra gradus.

Chriſtoferus Bart
Fer Chriſto turbas.

DUm, BARTI, in tenerā ſpargis tua dona juventā,
Et ludo Rector, non ſine laude præes:
Ad Chriſtum turbam puerorum ducere gaudes,
Et plantas cœlos ſedulitate Deo.
Perfer & obdura. Doceatur ut alma juventus,
Non deſis ſtudij dexteritate tui.
Jova dabit vireis, qvi fata arcana gubernat,
Qvò ludi incumbat ſedula cura tibi.
Fer Chriſto turbas plureis, plantasq́; tenellas,
Divitis ut creſcant ſancta theatra Dei.
Hinc te, crede, Dei benedictio larga ſeqvetur;
In cœlo merces hinc tibi major erit.

Tobias Hatſc(h)icrerus
Is ob artes vireſcat.

INgenuæ, ſi qvis, qvòd ſe devoverit arti,
Pluris babendus erat: pluris habendus erit.
Ob ſtudium, ſi qvis, virtutis amabile cultum,
Dignus honore viret: dignus honore viret.
Hinc juvit Clarias animum excoluisſe per arteis,
Et Sophiæ totâ mente recluſit opes.

Hinc

*Hinc is Apollineas jam, jure vireſcat ob artes,*
*Atq; Magiſterij nobile nomen habet.*
*Sis felix, Sophiaq; novos cape lætus honores:*
*Ob Clarias arteis qvi viret, ille viret.*

Martinus Nœſſlerus
O ſal es, Numen, Turris!

Q*Vi Jova tradunt oracula ſancta, miniſtri*
*Qvòd ſint ſal terræ, pagina ſacra refert.*
*Qvorum tu minimus non es,* NÖSLERE: *probatum,*
*Hoc Anagramma tui nominis omen habet.*
O ſal *acceptum* es *Chriſti cultoribus agnis,*
*Qvos verbi paſcis ſemine vivifico.*
Numen *es, inq; ſacro lætaris Numine dius,*
*Dum ſacros tractas, ſancte vir, usq; libros.*
Turris *es, errorum dum ſchiſmata dira repellis,*
*Ac arces hoſtis damna timenda procul.*
*Sis ovibus Chriſti SAL, NUMEN, TURRIS amica,*
*Nomine ſic rebus conveniente tuis.*

Andreas Buenius
En ardua ſubiens!

F*Ortunæ victrix* ſubiens en ardua *virtus*
*Triumphat omnibus modis:*
*Cultoremq; ſuum populi de fæce revulſum,*
*Reponit inter Principes.*
O *generoſa Jovis ſuboles, dux optima rerum,*
*Regina & orbis maxima;*

*Tu mihi qvodcunq; eſt famæ tu qvidqvid honoris*
*Tuâ dediſti dexterâ.*
*Ergo tuo ſubeo cum dura negotia juſſu,*
*Cæptis fave precor meis.*

Heningus Flœringus
Oh vir ingens, fulgens!

*QVod claros homines reddit famæq; perennis,*
*Virtutis & laboris eſt decus optimum.*
*Illa venit ſocio ſiqvidem reparanda labore,*
*Utriusq; merces gloria eſt ampliſſima.*
*His qvia, FLORINGI, flores doctiſſime abundè,*
*Et cæteris animi bonis qvamplurimis:*
*Qvod magnæ Proceres urbis ſanctusq; Senatus*
*Teſtantur & freqvens caterva civium.*
*Hinc* oh vir *meritis* fulgens, *virtutibus* ingens,
*Præeſſe ſecretis velis diu patriæ.*

Matthæus Rudingerus
Tu ter dignus herâ Muſâ.

TU *qvia digna canis* Muſâ ter dignus herâ *ſis:*
*Digna canit qvisqvis, præmia digna capit.*

Martinus Piſtorius
Sum pius nitor artis.

SUm pius *ipſe* nitor *Clariæ PISTORIUS* artis:
*Qvam doceo tenerum, non ſine laude, chorum.*

Conradus VVeilandus
Candidus ô luſu verna!

*Purus*

*PUrus ineſt in te candor, CONRADE, politæ*
*Artis, & in terſo carmine pura Venus.*
*Improbat in qvo nil Critici cenſura Senatus;*
*Qvi grave, jucundum qvi cecinêre melos.*
Candidus ô luſû verna, *WEILANDE, politi*
*Ingenij, & laudem ſimplicitatis ama.*

Jacobus Nilſonius
O laus bonis vincis!

OLaus *es, JACOBE,* bonis *dum plurima* vincis
*Virtute & ſtudio pectora & ingenio.*
*Perge Dei, & laudes numeris celebrare bonorum:*
*Sic te cum Lauru fama manebit anus.*

Samuel Gvalterus
E luſu latè ſurgam.

*NOn Sophiæ tamtùm ſum clarus ab arte Magiſter,*
*Adſiduèq; ſacros volvo revolvo libros:*
*Nota etiam mihi ſunt vatum monumenta priorum;*
*Excoctumq; meo carmen ab ore fluit.*
E luſu latè ſurgam *per climata mundi;*
*Qvem fert ingenij vena benigna mei.*
*Luſibus ingenij doctis mea fama virebit:*
*Hinc patriæ pergam non moriturus honos.*

Zacharias Baſtius
Ah ſatis carus abis!

*TU qvoq;, ZACHARIA, Bojero teſte, Camœnas*
*Diligis, & Phœbi dulcia caſtra colis.*

*Qui tibi plectra lyræ donavit propria, celſi*
*Quò caneret laudes Numinis atq; virûm.*
*Dona tui ingenij laudatos vertis in uſus;*
Ah ſatis *Aönidum* carus *alumnus* abis!
*Perge tibi famam ſacris acqvirere Muſis:*
*Sic meliore tui parte ſuperſtes eris.*

Samuel Rein(h)artus
Lumen artis ſerva.

Q*Vod tibi Muſa dedit*, ſerva artis *nobile* lumen,
*Docte vir, erudiens corda tenella Ducum.*
*Artibus & lingvis generoſas imbue menteis,*
*Plenaq; fac Clario pocula fonte bibant.*
*Sic, Ganymedis uti, magnum ſuper æthera vecti,*
*Magna tibi cepti dona laboris erunt.*

Valentinus Hachenbergerus
En hac in urbe valens ſurget!

V*Eſaliam cum te ſacra Calliopeia vocatum,*
*Cerneret, hoc retulit nominis augurium:*
*Ingenij propter dotes virtutis & artis,*
En hac *ProRector* ſurget in urbe valens!
*Firmat id eventus, cum plauſu, nominis omen;*
*Arte tuâ qvandò ſurgis, & ingenio.*

Joannes Viewigius
Svavi ingenio vives.

D*Ivitijs auroq; ſuo confidat avarus;*
*Poſſe necis vinci qveîs putat imperium,*

Munc-

Munera fortunæ ſubitis obnoxia damnis,
Vel qvovis vento mobiliora ruunt.
*At qvi judicij melioris acumine pollent,*
*Virtutis qværunt ingenijq́ decus.*
*Horum te numero generoſa Sileſia, JANE,*
*Adnumerat laudem dant qvibus Aönides.*
*Tu* ſvavi ingenio *poſt ultima funera* vives:
*Carmen ama; docto carmine clarus eris.*

Joannes Veſenbecius
En bonus es! Eja vinces.

EN bonus es *culto, FESEBECI, carmine vates!*
*Hoc ſacra teſtantur Numina Pieridum.*
Eja *tui ingenij* vinces *artisq́ politis*
*Dotibus: Aöniam tu modò tange lyram.*

Herfortus Fôrſterus
Fer, fortis herus ortus.

ÆRumnoſa tuum ſi cor, FORSTERE, moleſtant,
Fer *patienti animo*, fortis *es* ortus herus.

Samuel Haunſchildius
Hîc humanus ſale ludis.

HÎc *ubi Tyrigetûm floret Salfelda metallis,*
Humanus *Clariâ* ludis *in arte* ſale.
*Qvæ canis*, HAUNSCHILDI, *nervoſa Epigrammata prome;*
*Cum Lauru ſic te fama beabit anus.*

Levinus Georgius
O egregius in luſu!

OLEVINE, decus ludi, ſpes magna piarum
Caſtalidum, & patriæ fama futura tuæ:
In luſu egregius fulges, vis enthea crebrò
Qvem tibi cœleſtis ſuggerit ingenij.
Ingenij docto feliciter utere luſu,
Et celebra dignos carminis arte viros.
Sic tua, priſca domus Senonum, cunabula ſervans,
Laude novâ ſurget laudibus aucta tuis.

Joachimus Sirovius
Io Jovi, Muſis charus!

DUm Jove digna canis, Muſisq́; polite, SIROVI,
Phœbus, Io Muſis charus es, atq́; Jovi,
Inqvit! creſcentis juvenilia frunde Poëtæ
Timpora Daphnæâ cingite Pierides.

Henricus Decimator
En hic mitrâ decorus!

DUm mitis Sophiæ decora proles
HENRICE, Aönidum freqvente cultu
Per ſacraria nota divagatus
Diæ Pallados intimos receſſus,
Et myſteria tot ſcientiarum
Aleâ indaginis arte perterebras;
Pindi in culmine Cynthius ſupremo
Siſtit conſpicuum, dat & coronam,
Muſarum manibus tibi paratam.
Ergo ſume libens, amaq́; dulcem
Muſis auſpicibus ſacris coronam;

*Hortus qvam Sophiæ tibi miniſtrat.*
*Hac lætus fruere; & Poëſin adde,*
*Patris more; Poëticam coronam,*
*Sic poſt accipies, datore Phœbo;*
*Et Lauru geminâ decorus arte,*
*Gradu, nomine par eris parenti.*

Petrus Materculus
Vt Supremus claret.

I*Nferior paulò reliqvis MATERCULUS etſi*
*Inter docentes Tertij tenet locum:*
*Attamen hic titulo fruitur cum laude Magiſtri;*
*Et* claret ut Supremus *in patriâ Scholâ.*

Chriſtoferus Robertus
Tu robur es Chriſto, fers.

D*Um nos trux cruciat ſævis Rhamnuſia fatis,*
*Curarumq; gravat pondera ponderibus.*
*Non, ROBERTE, malis cedendum; vincere pondus*
*Spe decet, & duras ferre patiq; moras.*
Robur es *in* Chriſto, tu fers, *qvæcunq; ferenda*
*Sunt tibi; fer: Chriſtus leniet omne malum.*

Caſparus Höflerus
Carus flos ſupera.

S*Icut in herbigero flos floret amabilis horto;*
*In Clarijs flores ſic,* HÖFELERE, *jugis.*
Carus flos *Phœbi, Phœbæos artis alumnos*
*Egregij* ſupera *dotibus ingenij.*

Martinus Vincelbergus
Magnus erit, lucens urbi.

*CUm te naſcentem Gardlebia culta videret,*
*Sic, MARTINE, tuum cantat Apollo decus:*
Magnus erit lucens *patriæ feliciter* urbi;
*Ejus & augebit laudis honore decus.*

Caſpar Irmiſſus
Pars caris Muſis.

*NEc tu* pars caris, *IRMISSE, tacebere* Muſis,
*Fama nites vatum ſplendida; fama Sophûm.*

David Waſius
Suda; diu vivas.

*GYmnaſij* ſuda *fumoſo in pulvere, WASI;*
*Molis Atlantææ fer patienter onus.*
*Mercedem tribuet ſi non tibi mundus opimam,*
*Ampla ſat in cœlis præmia JHOVA dabit.*
*Opto* diu vivas; *te docta docente juventus*
*Fœnore qvò fructus uberiore ferat.*

Gvaltherus Ceuchenius
Hîc Venus ſurget à luce.

Hic Venus à *roſeâ* ſurget *gratiſſima* luce,
*Naſcenti Aönidum tota corona canit.*
*Lucet ut æthre Venus: Clarium ſic fundit in agrum*
CEUCHENIUS *radios artis & ingenij.*

Liborius Capſius
O pius, clarus ibis.

O Pius *ac virtutis amans es, candide* C A P S I!
*Strenuus es Sophiæ cultor, & Aönidum.*
*Qvarum luſtraſti ſolerti mente vireta,*
*Monſtroſam ut poſſes vincere barbariem.*
*Hinc Sophiæ viridis tua tempora Laurus obumbrat,*
*Virtutis merces, ingenijq́; decus.*
*Qvam dedit inſignem tibi Cynthius, excole venam;*
*Carminis & Clariam perge movere lyram.*
*Sic* ibis clarus *Sophus, & cum laude Poëta,*
*Lauriger: humanus mente Magiſter ova.*

Sebaſtianus Schrœterus
En charus eſt ſuis ob artes!

M*Ens animi præſtans, ſolers labor, aurea virtus,*
*Muneraq́; ingenij qvod meruêre tui:*
*Jam Sophiæ capis è Lauru Peneide ſertum,*
SCHRÖTERE, *ad Jeræ qvà Schola ſurgit aqvas.*
*Cynthius ipſe tuo lætans adplaudit honori,*
*Virtuti cantans hoc Anagramma tuæ:*
En *fulgens virtute* ſuis eſt charus ob artes,
*Cum ipſi à teneris qvas didicisſe fuit.*
*Gloria ſic Sophiæ cultores artis alumnos,*
*Præmia & exhauſto digna labore manent.*

Matthæus VVeisſius
Tu Muſis tuis eas, have.

PRæmia virtutem comitantur digna labore,
Et manet egregios gloria certa viros.
Teſtis ades nobis, cui candor amabile finxit
Nomen, dum Sophiæ ſerta decora capis.
Tu MATTHÆE, tuis hodiè Parnaſide Lauru
Cinctus eas Muſis; pectore lætus have.
Sit tibi fauſtus honor Sophiæ, qvo, dante Decano,
Urbe in Hieriſluâ condecoratus ovas.
Ut ſervire Deo poſſis, teneræq; juventæ;
Et per te creſcant ſancta theatra Dei.

Petrus Herbach
Hic perbeatus.

DOctrinâ, ingenio, virtute & moribus auctum
HERBACHIUM cum cerneret Phœbus ſacer;
Dixit ad Aönidas, caſtiſſima Numina, Muſas,
Hic perbeatus munere eſt dignus novo.
Cingite jam Sophiæ juvenilia timpora ſertis,
Virtutis hæc ſint præmia & decus ingenI.
Accipe Pieriam, KIRCHNERO dante, coronam;
Qvæ ſit tibi felix precor Bilovius.

Nicolaus Sipelius
I luſu ſapiens Clio.

INgenij luſus famam laudemq; meretur,
Qvi cum judicio carmine digna vehit.
I luſu ſapiens Clio cum laude, SIPELI;
Cumq; Deo dignos carmine tolle viros.

Finis Libri VI. Plejad. Anagram.

BARPTO-

# BARPTOLEMÆI BILOVI
## PLEJADUM ANAGRAMMATISTICARUM
### LIBER VII.

Martinus Stobæus
Muſis beatus ornat.

STOBÆUS reſonans plectro graviore, Poëtas
Inter Pruſſiacos nobile nomen habet.
Nempe ſacris Muſis Clarioq́, liqvore beatus
Ornat Pierium laudis honore chorum.
Non vulgare canit, Phœbo dictante, meliſma;
Qvæ canit, argutâ cum gravitate canit.
Integer & prudens pollet candore Senator,
Arx ubi de Mariæ nomine dicta jacet.
O utinam æqvales illi virtute fideq́;
Proferret plureis Pruſſia terra viros!

Caſparus Prætorius
O purus & ſacra paris!

FAbricio vatum ſi judice cauſa geratur,
Alma Poëtarum Marchia mater erit.
Et merito, foveat qvævis licet aura Poëtas,
Floreat & doctis vatibus omne ſolum:
Noſtra tamen cunctis palmam regionibus omnem
Præripit, & vatum Numina Marchis habet.

*Hortus erit locuples teſtis meus; æqua legentûm*
*Sit cenſura boni; conſule: certus eris.*
*Vatum lumen, honos, & gloria prima* Sabinus,
*Nonne perenne ſuo carmine nomen habet?*
*PRÆTORI, relegis veſtigia docta* Sabini;
Purus *es* ô *vates* & ſacra *metra* paris!
*Hinc te Marchiacis adſcribit Apollo Poëtis;*
*Addet & emeriti laurea ſerta comis.*
*Perge tui ingenij plureis expromere fœtus;*
*Nec ceſſa Clario fonte bibiſſe ſenex.*
*Parvula ſic Podleſta caput ſuper æthera tollet;*
*Et tibi poſt cineres nobile nomen erit.*

## Chriſtianus Chriſtiani Charitas in Chriſti ſinu.

*SCilicet invicto laus eſt placuiſſe Monarchæ,*
*Qvod pauculis conceditur.*
*Hujus ut acqvirant qvavis ratione favorem,*
*Qvidam laborant anxiè:*
*Sed fidei in magnos fundamen ponere Reges,*
*Cum non ſatis tutum, monet*
*Regius ut vates: Herois gratia ſummi*
*Nam corridit ſæpiſſimè.*
*Et veluti Phœbi facies mutatur Aprilis*
*Menſis diebus fulgida:*
*Gratia Magnatum ſic ſplendida ſæpè tenebras*
*Minatur horridas ſuis.*
*Ergo bonum cùm ſit Chriſto confidere, cujus*
*Mutabilis non eſt favor,*

*Hujus in æternum dives mihi gratia proſit.*
*Et omnibus fidelibus:*
*Hoc Anagramma docet veluti prædulce, repoſta,*
*Sum* charitas Chriſti in ſinu.
Felices, hominum cum gratia ceſſat inanis,
Conſtans qvibus favet Deus.

Iſraël Hoppius
Hui pars es poli!

D*Um benè de Muſis & toto Helicone mereris,*
*Et Schola præſidio creſcit adaucta tuo:*
*Rem Jovæ gratam, Vir prudentisſime, præſtas;*
*Mercedem à ſuperis pro pietate feres.*
*De ſtudijs doctisq́; viris benè perge mereri:*
Hui pars es, *HOPPI, certa futura* poli!

Joannes Druſius
Sanis vire donis.

N*Ec tua, qveis fulges, DRUSI, fas dona tacere:*
*Muſa ſit in laudes officioſa tuas.*
*Hebrææ cum laude doces diſcrimina lingvæ,*
*Et ſacræ pandis Relligionis opes.*
*JANE*, vire ſanus, *vir præſtantisſime*, donis,
*Qvæ tibi conceſſit dextera larga Dei.*
*Vive, vireq́; diu, tua ceu meret incluta virtus;*
*Ut valeas donis commodus eſſe tuis.*

Theophilus Cangiſerus
Hui philos Græcus nites!

C*ANGISERE*, philos *Muſis nutrite Pelaſgis*,
Græcus hui *Europæ regna per ampla* nites!
*RHODMANNUM multi dicunt Germaniæ Homerũ:*
*Hoc qvoq; ni fallor, nomine dignus eris.*

Jacobus Prætorius
O victor abi! ſuperas.

H*Erculeus labor eſt, qvem tu, JACOBE, tot annos*
*Suſcipis, & tantâ mole gravatus agis.*
*Scilicet* ó ſuperas *tandem Camerarius urbis,*
*Depoſitiq; gravi pondere* victor abis.

Joannes Scholtſius
Sis honeſtus incola.

*Aliud.*

Joannes Sc(h)ultſius
Sanctus Sol in Jeſu.

P*Ublica res floret, qvæ jus æqvumq; tuetur,*
*Et tribuit juſtis præmia, damna malis.*
*Dum tibi commiſſæ validæ ſunt urbis habenæ,*
*Legibus hanc Conſul juſtitiaq; regis.*
Incola ſis, *SCHULTZI, velut es Sol urbis*, honeſtus;
*Inſula qvà Mariæ tollit ad aſtra caput.*
Sanctus *es* in Jeſu Sol: *qvi tua cepta gubernet;*
*Ut labor in laudem cedat opusq; Dei.*

Johannes Volbertus
Hui beatus, lenis orno!

B*Arbarica* hui lenis *ſola nunc exculta*, beatus,
*Moribus & ſtudijs ſedulus* orno *meis.*

Joan-

*Aliud.*

Joannes Volbertus
Sol urbe nitens, ova.

SOles *in* urbe nitens, *VOLBERTE, ob plurima mentis*
*Munera: cœleſti Numine plenus* ova.

Joannes Libingius
O inibi laus ingens!

QVi catus *Archivi ſecreta negotia ſervas,*
*Heic ubi Veſaliæ Principis aula viget:*
O *qvàm* laus ingens inibi *cum laude refulges!*
*Marchiaci pectus conſiliumq́ Ducis.*
*LIBINGI, longùm flore, laus Principis ingens;*
*Marchionumq́ tegat cœlica cura domum.*

Joannes Gauronius
Nonnè à Jovâ ſurgis?

DUm *ſanâ informas in Relligione juventam,*
*Principis, & lingvis, litterulisq́ bonis:*
G*AURONI*, à Jovà nonne *Ornatisſime* ſurgis,
*Præmiaq́ à Jovâ digna labore feres?*

Samuel Prætorius
Tu pio mera ſalus re.

DUm *tribuis (veluti fas eſt) jus omnibus æqvum,*
*Laudatâ cives & ratione regis:*
Tu, SAMUELE, pio mera re *tutela*, ſalusq́
*Diceris: hoc omen reddat Jova ratum.*

Hiero-

Hieronymus Arconatus
Hui roſa canit numeros!

*MUſa mihi memora, Divi qvis in arce Rodolphi*
*Publica conſilijs promovet acta ſuis?*
ARCONATUS *is eſt, qvi Secretarius aulæ*
*Arcanis rebus ſedulus uſq; præeſt.*
Hui roſa *pulcra velut per ſacra palatia fulget,*
*Et* numeros *cultos, ſicut Apollo,* canit!
*Hic trahat in multos vitam feliciter annos,*
*Illo ne vatum fama cadente cadat.*

*Aliud.*

Hieronymus Arconatus
An heic vir torno Muſas?
En mirus chartis ovo!

ANvir heic, *Divi ſedes qvâ celſa Rodulphi*
*Conſpicitur,* Muſas torno *Poëta meas?*
Lima metris adhibenda, qveant ut cernere lucem,
Si tornata venit Muſa, probata venit.
En chartis *hinc* mirus ovo, *dum ſingula torno;*
*Et ſolidæ laudis me comitantur opes.*

Laurentius Bojerus
Laurus urbis eniteo.

*LAurus ut auricomis pulcerrima floret in hortis,*
*Cultoriq; refert frugis aroma ſuo:*
*Nobilis* eniteo Laurus *ſic illius* urbis,
*Qvâ doceo ſtudijs dedita corda bonis.*

Johan-

Johannes Boſius
Beans Jovis honos.

*DEdita gens mundo ſectatur gaudia mundi,*
*Cœleſtesq́; parùm qværit & ardet opes.*
*Dedita gens Chriſto bona tantùm curat amatq́;*
*Cœlica, & ardenti flagrat amore Dei.*
*Mite dedit nomen cui Gratia, culte* BOOSI,
*Te verum à Chriſto nomen habere juvat.*
*Immortalis amas & Jhovæ qværis honorem:*
*Unde* beans Jovis *es cunctipotentis* honos.

Janus Boſius
Svavis bonis.

*NUminis & Phœbi cultor, præclare* BOOSI,
Svavis *es ætheriјs corporeisq́;* bonis;
*Qvæ tibi largitur Deus: illis usq; benignè*
*Uteris in laudem Numinis, atq; decus.*
*Perge bonis prodeſſe, & largam pandere dextram;*
*A qvibus æternæ munera laudis habes.*

Georgius Engelhart
En tu gloria gregi es!

*INgeniј cum dona tui mihi Muſa referret,*
*Nominis inveni mox Anagramma tui:*
En tu *Mulhuſiј Conſul venerande,* GEORGI,
*Pierio & Patriæ* gloria *certa* gregi es!
*Vive Deo, patriј præclara columna Senatus,*
*Pierio & patriæ gloria vive gregi.*

Henri-

Henricus Bahrius
Is charus in urbe.

*UT Metagramma tibi facerem, cariſſime BAHRI,*
*Movit amicorum me generoſa cohors.*
*Adplauſit Phœbus votis:* Is charus in urbe,
*Dixit, & eſt ſanæ relligionis amans.*
*Carus is eſt rectæ fidei cultoribus, haut qvam*
*Immanis Flacij turbida jactat anus.*
Qvi Chriſto carus vivit, Chriſtiq; miniſtris,
Inviſus mundo ſcilicet eſſe ſolet.
*Nobilis at BAHRI genere & virtutis amore,*
*Vive Deo, & multis carus in urbe diu.*

Andreas Meienteis
En ſanè dia mereris!

*CUlte vir, omnigenis virtutum dotibus aucte,*
*Qvi nomen Maji fronde virente geris:*
*Culta capit de te magnum Reſpublica lumen,*
*Heic ubi piſcoſis Druſna ſuſurrat aqvis.*
*Doctus es, atq; foves, vir prudentiſſime, doctis,*
*Et ſanæ curam Relligionis agis.*
*Carus es hinc ſuperis;* En ſanè dia mereris;
*Ut te dia canat Pieris, atq; chelys,*
*Dignus es: hinc vatum niveum tibi qvære favorem,*
*Carminibus qvi te celſa per aſtra vehant.*
*Hi tua perpetuis inſculpent nomina cedris,*
*Et facient, ea qvo poſtera ſæcla legant.*
Dia Poëtarum laus, qvovis gratior auro,
Per varias durat non peritura vices.

Salo-

Salomon Cueſelius
En Sol à Muſis luceo!

*CAſtalidum, SALOMON, ſidus, Vinariâ in aulâ*
*Nobile qvi Qvæſtor nomen & urbe geris:*
*Te qvamvis teneant graviora negotia rerum,*
*Seu abeat Titan lumine, ſeu redeat:*
*Te tamen interdum recreas dulcedine Muſæ,*
*Et lepidum docto fundis ab ore melos.*
*Hinc te fatidicus ſic introducit Apollo,*
*Nominis eliciens hoc Anagramma tui:*
En Sol *doctiſonis* à Muſis luceo *vatum,*
*Qvos Thuringorum fertilis ora fovet!*
*Qvam mihi dant Muſæ, æterno fulgebit honore,*
*Gloria; nam virtus carmine parta manet.*

Abraham Gaſtius
Ama: gratus abis.

*TEmpus amoris adeſt, GASTI: felicia currunt*
*Dum tibi florentis tempora Veris,* ama.
Gratus abis *Sponſæ; cujus cum limina adibas,*
*Præ reliqvis unus gratior hoſpes eras.*
*Vive tuæ Sponſæ gratus, Jovæq; ſupremo,*
*Et longùm Veneris vivite fœderibus.*
*Creſcat amor ſemper, fructus & portet amoris;*
*Qveis ſolet aſtripotens Jova beare ſuos.*

Bartholomæus Schônbecius
Ah Conſul cibo Muſas, & bçor!

EX omni faciunt hominis qvæ parte beatam
Vitam, ſunt Pietas, Spes, Benè facta, Fides.
Illa mihi æterno conjungit amore Tonantem,
Spes confirmatum reddit amoris opus.
Me ſuperis gratum reddunt hominumq́; catervæ,
Credimur eſſe pares qveîs, benè facta, Deo.
Conſul enim ah cultas largo cibo munere Muſas,
Hinc & perpetuo laudis honore beor.
Urbs felix, inopes cujus moderator alumnos
Muſarum dextrâ protegit uſq; ſuâ.
Hæc bona, ne noſtræ posſit qvid deêſſe ſaluti,
Compenſet læto fine beata Fides.

Joannes Guſefeldus
En ſanè fulges ô dius!

ERrat is inprimis, urbana negotia belli
Rebus qvi-longè-cunq; minora putat.
Eſt Cicero teſtis Romanæ gloria gentis,
Qvòd placidæ cedant arma cruenta togæ.
Dirigit imperij clavum Sapientia in urbe,
Et pacem retinet legibus uſa bonis.
Sæva comes Martis violentia deſtruit urbeis,
Diſturbat pacem legibus uſa malis.
Hæc precor à noſtris peſtis procul exſulet oris,
Aſt in Teutonico floreat illa ſolo.
Ergo regis patriæ qvoniam ſapienter habenas,
Optatæ addictus mente fideq́; togæ;
Tu belli præſtas ducibus, virtute Gradivi
Qveis aliqvam laudem bellica caſtra ferunt.

En ſanè *patrijs* fulges ô dius *inoris,*
*Qvas benè cum reliqvis pace vigente regis,*
*Fulgeat in terris tua præſtantisſima virtus,*
*Ampla Fides meritis fulgeat ante Deum.*

## Martinus Prætorius
## I Numa, es turris, porta.

UT *Numa Romulidum gentis regnator avitum,*
*Exauxit regnum pace fideq; ſuâ;*
*Qvi ſacra conſtituit, ſacris interfuit, ædeis*
*Struxit & in laudes, Maxime Dive, tuas:*
*Sic Romanorum, vir præſtans, æmule laudum,*
*Exornas patriam non minùs ipſe tuam,*
*Relligionis amans veræ, patronus & acer*
*Illorum, qvæ-ſunt-cunq; dicata Deo.*
I Numa, *de ſaxis dictæ qvi Rector es urbis,*
*Civibus* es turris, porta *& amica tuis.*
*Per te, ceu portam, cuivis qvæ ſemper aperta,*
*Aſtrææ penitrant templa vetuſta Deæ.*
*Huncce virum, noſtræ reliqvos patriæq; Qvirites*
*Defendas forti, ſumme Monarcha, manu.*

*Aliud.*

## Martinus Prætorius
## In te purus amor artis.

IN te purus amor *refulget* artis,
PURI *dogmatis ô beate cultor,*
*PRÆTORI, qvoq; mî faveto* PURO

*Cultoremq́ tuum foveto* PURUM,
*O puræ fidei patrone* PURE:
PURO *carmine dignus eveheris.*

*Aliter.*

IN te purus amor *puræ cognoſcitur* artis:
*Puro igitur faveas, Conſul honore, mihi.*

Joachimus Stederus
Oh Muſica ſedes ruit!

D*Iverſos hominum qvoties conſidero mores,*
*Et varias tacitâ mente revolvo vices:*
*In pejus video retrò ſublabſa referri*
*Omnia, nec facies, qvæ fuit antè, manet.*
*Mandatum tellus largo non fœnore ſemen*
*Fert, fructus homini denegat uſq́ ſuos.*
*Invadunt vitijs, ſomno, vinoq́ ſepultum*
*Teutonicum Turci (res miſeranda) ſolum.*
*Barbaries iterum Stygijs caput erigit umbris,*
*Qvam Martis ſecum turba profana trahit.*
*Nec Phœbus tutus celſâ eſt Heliconis in arce,*
*Qvod doleo,* oh ſedes Muſica *&* *ipſa* ruit!
*Inter tot cladeis aliqvid ſolaminis adfert,*
*Qvòd ſit adhuc purum Relligionis opus.*
Omnia diſpereant, qvoniam periiſſe neceſſe eſt,
Verbi uſus maneat ſi modò, CHRISTE, tui.

*Aliter.*

Joachimus Stederus
Is heic de Muſâ ortus.

*Jam.*

*JAmpridem de te jucunda patronus, amice,*
*Veridico Phœbus rettulit ore mihi;*
*Lætus in umbroſis tua qvòd perlegerit antris*
*Intra privatos carmina ficta lareis;*
*Lectaq; laudârit, laudataq; digna putârit*
*Cedris, ne fructu Muſa ſit orba ſuo.*
*Hac de re tandem, ſuperûm præſente coronâ,*
*Hoc citò judicium protulit ipſe ſuum:*
Heicis de Muſâ *ſtellis felicibus* ortus;
*Nam ſtellæ, Aönides, & bona vena favent.*
*Ergo velim in lucem qvò carmina mittat apertam,*
*Clarorum & volitet docta per ora virûm.*
*Namq; domi intactam citharam ſi cura recondat,*
*Nulla erit illius fama, nec ullus honor.*

## *Aliud.*

## Muſâ verò diteſcis.

*NEmo adeò dives, ſvadente cupidine rerum,*
*Qvi non ad plures ſpiret anhelus opes.*
*Mens eadem cunctis remanet bona plura parandi,*
*Aſt eadem cunctis non patefacta via.*
*Hic qvia per ſalebras volitat, per ſaxa, per igneis,*
*Alter fluctivagam navibus intrat aqvam.*
*Scilicet ut cumulent Fortunæ munera, vitam,*
*Ne paupertatis vis inimica premat.*
*Tu* verò Muſâ *placidâ ô* diteſcis,*opimæ*
*Hinc tibi divitiæ mentis & amplus honor.*
*Non etiam multos qvi nummos poſſidet arcâ;*
*Qvi cluet at Phœbi munere, dives is eſt.*

 Sic

*Aliud.*

Sic vir è Muſâ dotes.

S*Æpè trahit dubias diſcors ſententia menteis,*
*In terris felix qvis reputandus erit.*
*Num dives, præſtans juvenis vel flore juventæ,*
*Num pulcer, conſtans vel gravitate ſenex.*
*Judicium at qvoties ſeqvimur rationis acutum,*
*Omneis ex ſeſe cumq́ꝫ putamus opes:*
*Vir doctus, ſtipat qvem virtus agmine denſo,*
*Ex omni felix parte vocandus erit?*

*Aliud.*

Deus amicus eſt ori.

S*Piritus ſi non hominum ſonorum*
*Suſcitat lingvam ſacroſanctus, almi*
*Eloqvi nullâ ratione Jovæ*
*Juſſa valebit.*
*Hic tuæ vireis qvoniam politæ*
*Ingerit lingvæ, JOACHIME, ſacras,*
*Hem tuo fautor bonus ac* amicus
Eſt Deus ori.

Theodorus Rodetidichius
Hui hic ortus dedit odores!

D*Ecantet qvoqꝫ nunc Caména noſtra*
*Te nomenq́ꝫ tuum, mihi qvod omen*
*Suggesſit, Reverende vir, fidelis*
*Verbi Præco beatioris, olim*
*Qvi Rector patriæ Scholæ juventam*
*Florentem Pietatis imbuiſti,*
*Doctrinæ & ſtudio elegantioris.*

*Pro tali merito inſtitutionis*
*Perſolvunt tibi gratias perenneis*
*Quondam diſcipuli tui, Jehovæ*
*Quorum pars ſacroſancta juſſa tractant,*
*Ac monſtrant populo viam ſalutis,*
*Sed pars conſilio, fideq; præſunt*
*Actis, judicio, foro clientum,*
*Et cauſſam peragunt miſellulorum:*
*Pars Phœbi colit abditos receſſus:*
*Pars Phœbi reſident adhuc in agro,*
*Celſum culmen ad eruditionis*
*Tendentes ſtudio ac labore magno.*
*Inprimis tibi, cæterisq; Myſtis,*
*Et Paſtoribus omnibus colendis,*
*Multùm Chriſtiadûm cohors beata*
*Magnas pectore gratiore ſolvit*
*Grates, pro ſtudio pio docendi.*
*Hinc Phœbus Metagramma tale finxit:*
*Vates* hui dedit ortus hic odores
*Verbi ſalvifici cadente rore,*
*Vitæ perpetuæ ſalubriores!*
*O ſvaves, roſeos, ſacros, odores,*
*Prolatos Paradiſo amœniore,*
*Qui mortis gelidæ venena pellunt,*
*Et vitam faciunt beatiorem!*

Stephanus Cleinovius
Hoc luſu ſapiens venit.

V*Atis opus, laudare Deum, laudesq; virorum:*
*Scilicet hic luſus perplacet Aoniſin.*

*Nempe tuos luſus ut vidit, amice, probavit;*
Hoc luſu ſapiens, *inqvit Apollo*, venit.

Adrianus Ludecus
Adde in luſu curas.

INgenij luſus curas ac ocia poſcit:
Victurum carmen non parit una dies.
Scilicet Aönides peramica ſilentia qværunt;
*Fas erat his vates, docte LUDECE, frui.*
*Qvod facis*, in luſu curas *feliciter* adde:
*Inde tua ſurget laudis amœna ſeges.*

Iſaac Sc(h)aller
I, ſacra calles.

*ISACE, ſalvifici Præco fortisſime Chriſti,*
*Cœliferam plebi docte probare fidem:*
*I, dum fata jubent, munusq́ capesſe docendi,*
*Nam* ſacra *dum* calles, *ſacra docere potes.*
*Scire ſacri mens usq́ fuit myſteria verbi,*
*Qværendo ſanæ Relligionis opus.*
*Hinc te Jova ſuo tamdem præfecit ovili,*
*Præconem verbi fecit & esſe ſui.*
*Dia ſalutaris Fidei documenta ſonare,*
*Perge; tuâ creſcat voce beata cohors.*

Henricus Laurentius
En charus vir, ut lenis!

*SUnt Caritas & Lenitas*
*Junctæ Sorores invicem.*

*Qvæ mutuas tradunt ſibi*
*Operas, nec avelli qveunt.*
*Si Lenitas aliqvem fugit*
*Ob duritatem pectoris,*
*Hunc derelinqvit & citò*
*Fidiſſima comes caritas.*
*Dureſcit hinc velut lapis*
*Homo, fit aſper & ferus,*
*Stygio Duci ſimillimus,*
*Inviſus, at ſupero Jovi.*
*Hæ cum ſororculæ ſuis*
*Odoribus ſvaviſſimis*
*Pectus tuum excultiſſimum*
*Emolliunt, replent, fovent:*
Vir carus ut en lenis *es!*
*Acceptus orbis arbitro,*
*Affabilis es hinc civibus,*
*Muſis piis cariſſimus.*
*O civitatis optimos*
*Et laude dignos Conſules,*
*Qvos candor atq; lenitas*
*Commendat, ornat, evehit.*

## *Aliud.*

### En tu riſu curas leni!

ALternata juvant, juvat interrupta voluptas;
Intermiſſa ſolet grata redire Venus.
Gratior eſt facies poſt triſtia nubila Phœbi,
Qvàm ſi perpetuò torrida ab igne micat.

Exhauſtâ jaculis pharetrâ ſors ridet inermis,
Curarum pulſo turbine riſus adeſt.
*Sic gratâ natura parens vice ludere pergit,*
*Dulcibus & doctâ miſcet acerba manu.*
*Hæc animo volvens, obſert qvas curia, curas,*
Tu leni en riſu, *Conſul amice, tuo.*
*Non ſuccumbendum curis, nec fulmine duræ*
*Fortunæ, his validâ mente reſiſtat homo,*
*Cui ſacrâ Muſis Heliconis in arce novenis*
*Adflavit vireis Pallas amica ſuas.*
*Hoc virtutis opus, præclaræ robore mentis*
*His victor victis omnibus eſſe potes.*

## Heinricus Prætorius
## En hic herus Juris porta!

*NEc te prætereat portam mea Muſa novellam,*
*Junctè mihi officijs ſympatriota tuis.*
*Nam defeſſa cupit tecti reqvieſcere in umbrâ,*
*Geſtit & alternis pauca referre metris.*
*Qvæ ſi vera canit myſteria nominis, omen,*
*Hoc etiam caſum non ratione puto.*
Hic herus en *ſacri* porta *eſt firmiſſima* Juris!
*Augurium his voclis num qvis ineſſe neget?*
*Urbem ſicut enim nulli peragrare licebit,*
*Per portam greſſus ni prius ille ferat:*
*Sic viâ nulla patet Divæ ad ſacraria, porta,*
*Juris Conſulti ni reſeretur ope.*
*Ergo tibi grator felix ob nominis omen,*
*Et mihi, qvod Muſæ ſis nova porta meæ.*

*Det Phœbus tibi pro ſtudio & virtute ſupremum,*
*Qvem pridem meritus, juris in arte gradum.*

## Theodorus Nietius
## Hui Deo ortus nites!

HUi, Theodore, *favente* Deo *feliciter* ortus
*Ingenij mirâ dexteritate* nites!
*Dulce meliſma canis, Muſis & Apolline dignum;*
*Unde paris patriæ laudis aroma novum.*
*Primus ego titulum geſsi nomenq́ue Poëtæ,*
*Stendaliæ cives inter Apollineos:*
*Dum mea, lux juvenum, veſtigia fidus adoras;*
*Tu qvoq́ue Cæſario munere dignus eris.*

## *Aliud.*

## Et tu dives honoris.

N*Obile cœlorum munus ſacroſancta Poëſis,*
*Nobile perpetuæ laudis aroma parit.*
*Hanc tibi conceſſam à ſuperis,* Theodore Nieti,
*Excole, & auctorem carmine tolle Deum;*
*Nec cura Invidiem, ingenijs qvæ ſæpè reſiſtit*
*Heu inimica bonis; hoc magè creſcit honos.*
*Es vates bonus, & juvenis dignisſimus, in qvem*
*Argumenta mei multa favoris eant,*
*Sit dilecta tibi, Phœbo gratisſima Daphne,*
*Et metra Caſtalio prome legenda choro.*
*Ibit ad occidui longinqva cubilia Solis,*
*Fama tua, Eois nota futura plagis.*

*Sic ederám ornabis, ſacra qvam tibi Muſa parabit;*
Et tu *magnifici* dives honoris *eris.*

Joannes Schroterus
Terſus honore canis.

O*Sterburga dedit magnos urbs parva Poëtas;*
*Qvod ſi non primus, JANE, nec imus eris.*
Terſus honore canis *Muſis & Apolline digna,*
*Et matura viro* terſus honore canis.

Henricus Petræus
En hic purè terſus!

T*Erſa tui legeret cum ſcripta, PETRÆE, parentis,*
*Nominis hoc omen Cynthius ipſe dedit:*
En purè hic terſus! *ſcriptore hoc terſior eſt qvis?*
*Pura canit puro carmina grata Deo.*
*Dum virtute legis veſtigia patris & arte:*
*Qvàm benè conveniens hoc Metagramma tibi eſt!*

Joannes Leuberus
En verè laus bonis!

V*Ir bonus officium docti dum vatis adimples:*
En verè laus *es vatibus ampla* bonis!

Valentinus Melaſius
Ille Muſis natus venâ.

B*Randeburga Poëtarum gratisſima mater,*
*MELASIO nato plaudit ovatq́ ſuo.*
Ille *ſacris* natus venâ *prædivite* Muſis;
*Qvà fluit Aönijs clarus Havelus aqvis.*

*Dulce melos fingit: ſibi vates unde parabit*
*Nomina cum Muſis non peritura ſuis.*

Johannes Baccerus
Hic ſano benè carus.

C*Um, BACCERE, tuo de nomine qværeret omen*
*Calliope, ſummi filia docta Jovis:*
Hic benè carus, *ait, vigeat virtute fideq;*
Sano, *judicij qvi bonitate valet.*

Michael Cittelmannus
Hîc micans lumen latet.

K*ITTELMANE, tui dum tento nominis omen*
*Excutere, occurrit tale Anagramma mihi:*
Hîc, *dans ingenio vireis, qvi præbet Apollo*
Lumen *honore* micans *mentis in arce* latet.
*Ergo tui ingenij, MICHAEL, ne polcra recondas*
*Munera, ſed radios exſeruisſe velis.*
Qvid prodeſt homini theſaurus conditus antro?
Excolitur crebris uſibus ingenium.

Janus Oberlenderus
En vir blandus es ore!

C*Andor, amice Deo dilecte, meisq; Camenis,*
*Nervus & eſt ſolidæ fomes amicitiæ.*
En vir blandus es ore! *omni ſervire paratus,*
*Humanum præſtas te facilemq; bonis.*
*Comis es, & placidus; tamen haût obtrudere palpum*
*Gaudes, ſed cordi conſona lingva tuo eſt.*

Odi, ceu Satanam, qvi fel pro melle propinant:
*Candorem foveat, qvi meus eſſe velit.*

Lucas Cruſius
Sic uſu clarus.

A*Streæ tibi cura fuit luſtrare receſſus,*
*Pars Clarij, LUCA, non inamœna chori.*
Sic uſu clarus *multis prodeſſe laboras.*
Artifices ſollers uſus ab arte facit.

Petrus Vaſthovius
O purus vates tuis!

S*Vecia te genuit; Muſis te Pruſſia fovit:*
Purus *es* ô vates, *candide PETRE*, tuis!

Daniel Weitte
Vale diu, & nite.

A*Rtis amore nites, DANIEL, candore, fideq́;*
*Carus es hinc caſtâ Relligione viris.*
*Vive* valeq́; diu, *Muſis dilecte, Deoq́;*
Et *varijs animi dotibus uſq́;* nite.

Bernartus Dierſchovius
Ornatus eris urbi decus.

E*T tu, qvi fratris veſtigia fidus adoras,*
*BERNARTE*, ornatus *dotibus ingenij;*
*Patriæ* eris decus *ac lux, famaq́; nobilis* urbi,
*Dij faveant, juveni dixit amica Themis.*
*Virtutum in ſtadio currebas; omina firmet*
*Exitus: urbis es hinc juſtitiæq́; decus.*

Chriſto-

Chriſtoferus Pole.
Fel Chriſto ſupero.

*E Potare potens eſt felle coactus acetum,*
*Salvator mixtum, poclaq; amara necis.*
Fel Chriſto ſupero, *qvod dat cum Dæmone mundus,*
*Nam Chriſto qvævis vincere dura datur.*
*Pondera ferre crucis coguntur ſcilicet omnes,*
*Qvi ſunt Chriſticolûm membra dicata choro.*

*Aliud.*

Chriſtophorus Polius
Loci Phoſphorus urſit.

*TEutonicas adijt juvenis feliciter oras,*
*Doctorum POLIUS motus amore virûm;*
*Immenſum Oceanum juris qvæ lumina pandunt,*
*Audijt hæc varijs non ſine fruge locis.*
Phoſphorus *ecce* loci *illius ſtudia acriter* urſit,
*Aſtrææ ſtudijs qvi celebratus erat.*
*Communem ſtudij fructus nunc vergit in uſum,*
*Et cauſas, Themidos dotibus auctus, agit.*

Joannes Reichius
Io hic ſanè virens!

*PLaudite* Io *Muſæ, veſtroq; favete Poëtæ,*
*Cujus ab ingenio divite nomen erit!*
Hic ſanè *virtute* virens *ac artibus almis;*
*Svavia cui venâ divite metra fluunt.*
*Qvin etiam Medicas tractat feliciter arteis;*
*Ægraq; Pæoniâ pectora ſanat ope.*

*Jova viro vireis addat, ducatq́; ſalubrem,*
*Ut vireat ſtudijs utilis uſq; ſuis.*

Joannes Truncius
En ornatus vincis.

*VIncere cujusvis non eſt, virtutis & artis*
*Dotibus: aſt fluxis vincere multus ovat.*
En *multos* vincis *virtute* ornatus *& arte!*
*Laus patriæ, TRUNCI, tu qvoq; certa tuæ.*
*Qvi catus invictis fidei, pietatis & armis*
*In Chriſto didicit vincere, victor ovat.*

Joannes Adamus
In Deo ſana Muſa.

*SUnt multi, inſanis chartas qvi verſibus implent,*
*Indignosq́; vehunt carmine ad aſtra viros.*
Muſa Deo in *valido* ſana *eſt tua, dulcis ADAME,*
*Dum celebras Lyrico carmine cœlicolas.*
*Sana tua æternum pietate meretur honorem*
*Muſa, ſalutifero dedita tota Deo.*

Matthæus Loſſius
Ah à Muſis lotus eſt!

*MItibus* à Muſis ah lotus *Hyantidos undâ*
*LOSSIUS* eſt! *doctos doctus amore fovet.*
*Excipit hoſpitio Muſas: nonne ergò perenni*
*Dignus, ut à Muſis laude vehatur, erit?*

Conradus Nuberus
Vnus candor rebus.

*Unus amicitiam candor conſervat & ornat,*
*Qvam junxit virtus & pietatis amor.*
*Tu, CONRADE, cor es, vel candida cordis imago;*
Unus *ineſt* rebus candor, *amice, tuis.*
*Nempe Caledoniâ nive candidiora probâſti*
*Corda mihi, Clariâ concelebranda chely.*
Pectora diſpereant fallacis conſcia noctis;
Qvosq; ligat Bacchus, crimen, opumq; fames.
Qvos virtutis amor meliori ſidere junxit,
Perpetuò illorum durat amicitia.

Martinus Cocus
Cantor Muſicus.

Muſicus *es* Cantor *non contemnendus in arce*
*Pieridum; doctâ, qvod canis, arte canis.*
*Omen habet Metagramma tuum,* Coce; *carmine canta*
*Ætherias laudes: nomine clarus eris.*

Johannes Cocus
Cui honos, canes.

*Eximia à ſuperis tibi ſunt concesſa docendi*
*Munera, qveis ſancti creſcit ovile Dei.*
*Nec doctrina deeſt, & vena poëtica, vates*
*Qvâ Jhovam & meritos concelebrare ſolent.*
Cui *debetur* honos, *& gloria ſumma Jehovæ,*
*Huic,* C O C E, *dum vives, carmina grata* canes.

Christianus Reiman.
In Chriſti manu eras.

A*Nte creaturum fundamina maxima rerum,*
In Chriſti *vir* eras *cunctipotente* manu.
*In nihilum qvandò redigentur corpus & oſſa,*
*In Chriſti tua erit mens animata manu.*
*Ergo noſtra minùs turbet præcordia mœror,*
*REIMANE, in Chriſti dum ſumus uſq; manu.*

Joannes Malſius
Laus Sionis mane.

Q*Vando Deo plantas cœlos in monte* Sionis,
Laus *ejus, MALSI, non moritura* mane.

Joannes Cilfelderus
En fidelis luce ornas!
En ſic in laude flores!

M*Yſta Dei* en *ſancti Præcoq;* fidelis *Jövæ,*
Ornas *divinâ* luce *fideq; chorum!*
*Qvando tuam Spartam, cœlo qvæ contigit, ornas,*
En flores ſic in laude, *choroq; Dei!*
*In cœlis fido fidus tibi Jhova miniſtro*
*Præmia certa, minùs disperitura, dabit.*

Sebaſtianus Serveſtus
Is ſanus ſervus eſt, beat.

S Anus is eſt ſervus *Chriſti, qvi dogmate ſano*
*Salviſicâq; fide corda renata* beat.
*Hoc Anagramma mihi Muſarum Præſes honorus*
*Dictat Apollo tui nominis. Anne placet?*

Joannes Rodingius
Sidus ingenio orna.

Grande

G*Rande Poëtarum*, R O D I N G I, ſidus *es*, orna
Ingenio *Clarias, qvâ potes arte, Deas.*
*Doctiſono Jovam, dignosq; meliſmate tollas:*
Ingenio partus non morietur honos.

Matthæus Fabricius
Ab Matheſi carus fuit.

A*Stra poliq; vices, FABRICI Reverende, ſub agro*
*Dum numeras, inqvit nobilis Uranie:*
*Uſq;* fuit *nobis per*carus, ab *arte* Matheſi,
*Ætheriis qvæ nos finibus inſinuat.*
*Vive, Dei Præco, caput immerſure ſupernis:*
*Huc iter eſt; ſecum cætera mundus habet.*

Joannes Monradus
An non dius Maro es?

C*Ulta leget qvisqvis tua, JANE, meliſmata, dicet:*
An non es dius *carminis arte* Maro?

Chriſtianus Seumius
Hic veris natus Muſis.

J*Udicium de te, SEUMI, proferre rogatus,*
*Vatibus ingenij dans bona, Phœbus ait:*
Hic veris natus Muſis *æterna meretur*
*Præmia, divitijs, nobiliora Midæ.*

Joachimus Aſſenburgius
Ah carus bonis Muſis vige!

N*On minor es qvi fratre tuo, virtutis & artis*
*Laudibus, Aöniam, perge movere lyram;*

*ET decora patriam, Buchiumq́ꝫ ignobile ſummi*
*Nobile redde tui dotibus ingenij.*
Ah carus, JOACHIME, bonis, *cultisſime*, Muſis,
*Ut tua laus vigeat: tempora longa* vige,

Gerardus Delitius
Deli ſurge artibus.

*CUlte juventutis formator, & optime* Deli,
Artibus *ac lingvis* ſurge *paraq́ꝫ decus.*
*GERARDE, ſtudio conjunge Pelaſga Latinis:*
*Non Latium, at Muſas Græcia progenuit.*
*Curis adde ſacris, alijsq́ꝫ, fideliter artem,*
*Tangendi Clariæ plectra canora lyræ.*
*Delius Aönidum ſic præſes, amicus Apollo,*
*Qvi jura in vates, imperiumq́ꝫ gerit;*
*Virgineâ impediet juvenilia tempora Lauru;*
*Et Werbena minor nomine major erit.*

Matthias Decenius
Ah in Muſâ diteſcit!

*MAxima pars vulgi, ſvadente cupidine rerum,*
*Per fas, perq́ꝫ nefas divitias cumulat.*
*Hic ſalebras temnens currit per ſaxa, per igneis;*
*Fluctivagam ille citis navibus intrat aqvam.*
*Ut modò fortunæ conqvirant munera, vitam,*
*Ne mala pauperies lædat & atra fames.*
*Judicio verò meliore DECENIUS uſus,*
*Virtutis ſtudio qværit ad aſtra gradus.*

*Hic*

*Hic bona virtutis præfert æterna caducis,*
*Et fluxis opibus, laureolamq́; Dei.*
Ah in *dulcicanâ* Muſâ diteſcit! *honores*
*Hinc ipſi ſurgent divitiæq́; animi.*
Donorum largo qvem virtus agmine circat,
Pollentem Phœbi munere, dives erit.

Petrus Heinſius
Pius herus nites.

P*ETRE, ſacræ propter pietatis dona, ſodalis*
*In patriâ qvondam qvi mihi carus eras:*
*Carus ob hanc cauſſam mihi adhuc non deſinis eſſe,*
*Verâ expers fraudis dum pietate flagras.*
*PETRE,* pius, *petræ Chriſti qvi nomen adumbras,*
*Ut petroſus* herus, *Sympatriota* nites.

Chriſtoferus Tangerus
Fer Chriſto natus, ſurge.

FEr Chriſto natus, *tibi qvæ-ſunt-cunq; ferenda,*
*CHRISTOPHORE: ejus enim nomine nomen habes.*
Surge *tuo Chriſto: per te qvò creſcat Olympi*
*Gloria, ſalvifico dogmate paſce gregem.*

Nicolaus VVeiſmanus
Laus Muſis, venâ vinco.

P*Rotulit innumeros noſtro mea Francia vates*
*Tempore, qvi clarum carmine nomen habent.*
*Ipſe ego ſum primo ponendus pompa Senatu;*
Laus Muſis, *gaudens rure, perennis ero.*

Venâ *etenim* vinco *dum fertiliore Poëtas:*
*Non mea poſtremo eſt Muſa canenda loco.*

Laurentius Sperlingius
Ille pius vernans ſurgit.

S*PERLINGUS, cujus fuit hactenùs incluta virtus*
*Paucis nota, boni nomine vatis ovat.*
Ille pius vernans *virtutis & artis amore,*
Surgit, *& adſcendens ſidera linqvit humum.*
Non ſolet obſcuris virtus latitare ſub umbris,
Et qvamqvam premitur, non tamē opprimitur.
Emergit tamdem, denſis obſepta tenebris,
Jucundumq; refert luce micante decus.

Joannes Martinus
An non is Muſa erit?

U*T, MARTINE, tuus labor ac induſtria Phœbo*
*In viridi ætatis tempore nota fuit:*
*Ingenium ſtudiumq; tuum miratus & artem,*
An non is *qvondam* Muſa, *canebat*, erit?

Georgius Mancinus
O carmen gignis uſu!

DUlce meliſma parit natura; ſed adjuvat uſus
Naturam: qvi ſi deficit, illa perit.
O carmen *crebro* gignis *felicius* uſu!
*MANCINE, ingenij qvo viget ala tui.*
*Fœtibus ingenij ſtudioſa corona fruatur;*
*Poſteritasq; tui fruge laboris ovet,*

 Joan-

Ioannes Albinus
Anne is laus boni?

*SUmma, placere Deo, virtutis & artis amicis,*
*Cura tibi ſemper, JANE, laborq́ fuit.*
*Cultores qviſqvis virtutis & artis honorat,*
Annè boni laus is *dicitur omnis? have!*

Valentinus Brewerus
En tu une Laurus es urbi!

*UT, vir docte tuæ vidi meletemata Muſæ;*
*Nominis inveni tale Anagramma tui:*
En une *inſignis patriæ* tu Laurus es urbi!
*Et Chriſti tamqvam Laurus in arce vires.*
*Sicut enim Phœbo gratiſſima, dulcis odore,*
*In viridi floret Delphica Laurus agro:*
*Sic tu Pruſſiacis flores, BREWERE, ſub arvis,*
*Et paris ingenio frugis aroma tuo.*
*Digna ſacrâ Lauru ſi fundere carmina perges;*
*Vatibus Aönÿs adnumerandus eris.*

Martinus Sveferius
Vir Muſis renatus es.

*GRæcia Muſarum peperit laudata coronam,*
*Uberius mentem qvæ poliêre tuam.*
Virq́ renatus es *à* Muſis, *SVESERE; Pelasgam*
*Qvæ tibi cum ſummâ laude dedêre lyram.*

Michaël Prôsfelius
Hui Sol mirè places!

PRÖSSELI, CAJO Collega adjuncte fidelis,
*Ritè tui officij munia qvando facis;*
Hui Sol, *Ilfeldæ qvi Phœbi ſigna ſeqvuntur,*
*Doctrina* mirè *dexteritate* places!

Simon Stucius
Muſicis notus.

QVis te ducentem Muſas Heliconis ab antro,
*Beatis intulit locis?*
*Qvis tibi ſidereo, Juvenis dilecte, Deorum,*
*Os irrigavit nectare?*
*Fetibus ingenij, impreſſos qvos Odera ſervat,*
*Es* Muſicis notus *choris.*
*Seu blandos cantas Elegos, SIMO, ſive canoram,*
*Eburneo tangis lyram,*
*Plectro, delectas Clariam gravitate coronam,*
*Et ſvavitate carminis.*
*Inſinuabo ſacris te, STUCKI culte, Poëtis;*
*Meretur hoc virtus tua.*
*Non modò Marchiacas currat tua fama per urbeis,*
*Utrumq; migret ad polum.*
*Tu modò perge, ſacros Phœbi nec linqve receſſus;*
*Relinqve nomen poſteris.*
Tempus edax diſperdit opes & gaudia mundi:
Nomen Poëtarum manet.

Joachimus Dalæus
O hic dia laus Muſæ!

Pauca

*PAucamihi, ſed docta tuæ monumenta videre*
*Contigit ingenij, qvalia Phœbus amat.*
*Hactenùs hoſtis hiems nobis fuit; utile veris*
*Gaudia nunc poſcit tempus, amatq́; lyram.*
*Candida temperies anni nunc, ruris amator*
*Laudatas inter concine carmen aves.*
*Lectoris, Phœbēe tuæ, DALÆE, Thalejæ*
*Hoc breve judicium candidioris erit:*
*Ex fonte irriguo currunt meletemata:* Muſæ
O hic *Præco Dei* laus *qvoq;* dia *micat!*

Joannes Oſtheren.
Sanè honore nites.

*PRæco doces populum Jovæ dum fidus,* honore
*Non parvo* ſanè, *Sympatriota,* nites.
*In verâ pergas pietate docere popellum:*
*Sic potes in cœli ſtella nitere domo.*

Jacobus Janus
O ſanus cibavi!

O Sanus, *pie Chriſte tibi ſacra corda* cibavi!
*Ut purè doceam, me rege luce tuâ.*

Joachimus Giſæus
Hem viſus joca agis!

HEm, *GISÆE, mihi longo poſt tempore* viſus
*Mox* joca agis! *ſalibus plenus es, atq; jocis.*

Gedeon Steinbergius
O benè! Is dignè ſurget.

O benè! *Caſtalijs* Steinbergius *ortus in arvis*
Is dignè *Muſis* ſurget *in aſtra ſuis.*

Samuel Waltetus
Multa laus è verſu.

T*Eutonicā*, Waltere, *moves citharamq́ Latinā:*
Laus multa è verſu *manat, amice, bono.*

Vitus Salomon
Tu Muſa in ſolo.

I*Nnumeros, SALOMON, qvævis alit aura Poëtas:*
In *Borusſiaco* tu *qvoq́* Muſa ſolo *es.*

Ernestus Stida
Terſus da, nites.

Q*Vandò favent tibi ſic terſæ adſpirantq́ Camænæ,*
*Ingenij fautor, STIDA polite, mei:*
*E liqvido & puro manantia carmina fonte*
Da terſus, *dictant qvalia Pierides.*
*Es meritò dignus, vatum teſtante Senatu,*
*Cui nitidas Lauru velet Apollo comas.*
*Dum qvotidiè enim tua ſedula cura Poëtæ,*
*STIDA, Camænarum gloria magna* nites.
*Ergò qvò celebrem te poſtera ſæcla fuisſe*
*Cognoſcant vatem, da bona metra typis.*
Terſa Poëtarum lethi Muſa eripit umbris;
Et ſine carminibus gloria manca virûm eſt.

Ioannes Gœringius
Sanè ingenio ſurgo.

*Enthea*

ENthea non mihi ſunt Muſarum dona negata,
*Qvæ poterunt famam perpetuare meam.*
Ingenio ſanè ſurgo; *qvo ſidera tangam;*
*Et numeris dignos concelebrabo meis.*

Iuſtus Gris
Surgit ſuis.

IN *Lyrico Schedio ſimilis dum* JUSTUS *habetur*
*Carmine, Gvalteri patria cui domus eſt,*
*Additus egregijs meritâ cum laude Poëtis,*
*Civibus Aönijs* ſurgit *in arte* ſuis.

Petrus VValterus
Tu purus ter ſalve.

TE *natura bonum fecit*, *WALTERE*, *Poëtam;*
*Promta tibi in numeros aptaq́ Muſa venit.*
Tu purus *doctis* ter ſalve, *PETRE*, *Camenis:*
*Creſce Dei in laudes his, patriæq́ decus.*

Bernardus Cieritſius
Is decus urbis in terrâ.

V*Idit ut ingenuos* ZIERITST *docta labores,*
*Muſa, verecundi carminis auctor, ait:*
Is decus *eſt* urbis *fulgens* in *Marchide* terrâ;
*Urbs qvæ Marchiacis nomina finxit agris.*
*Nam reliqvis par eſt, qvos urbs tulit iſta Poëtis;*
*Lucet &, in medio Sol velut ipſe polo.*

Ioannes Bucholdus
Bonus D[illegible].

*URbs pia Brandonis vatum clariſsima mater,*
*Non infelici ſidere me genuit.*
*Me puerum eduxit, mentemq́; polivit Apollo*
*Artibus, ambroſiâ, nectare, melle, favo.*
*Non minor hinc reliqvis patriæ ſum vatibus almæ:*
*Dulce meliſma* bonus Delius *ipſe* cano.

Joannes Idenius
En in Deo ſanus ij!

*FIrma Dei vivax verbum ſit rebus in arctis*
*Anchora, qvæ vitam dirigat uſq; meam.*
*Hinc me non error flectit de tramite vitæ;*
In *vivente* Deo en *pectore* ſanus ii!

Andreas Morenbergius
Benè dignus amore eras.

*CUra fuit, MORENBERGI, tibi viſere regna*
*Extera, qvò poſſes laude redire domum.*
*Artibus & Themidos ſtudijs inſigniter auctus,*
*Mirante Invidiâ ſumis ad aſtra gradus.*
*Hinc* benè dignus eras *(gaude!) felicis* amore
*Conjugis, à ſuperâ qvæ tibi ſede datur.*
*O te præ reliqvis felici ſidere natum!*
*Dignatur qvem tot Jova beare bonis.*
*Vive, MORENBERGI, cum Sponſâ Neſtoris annos,*
*Dignus amore hominum, dignus amore Dei.*

Felix Fidlerus
Lux fidelis, fer.

*Signa*

*SIgna ſeqvens Chriſti* lux *es, FIDLERE,* fidelis;
*Ergo* fer *in Chriſto dura; beatus eris.*

Michaël Fuchſius
Heic fulci Muſas.

*CUm Phœbo vates his deridentur in oris,*
*Spretaq́; Pieridum gloria vera jacet.*
*Sunt tamen, at pauci, qvîs Muſica Numina curæ,*
*Qvos inter laudem tu qvoq́; jure meres.*
Heic fulci *ſpretas, FUCHSI, vir candide,* Muſas;
*Qvâq́; juvare potes parte vel arte, juva.*
*Sic tibi jucundæ pangent præconia Muſæ,*
*Et tuus Elbingæ non morietur honos.*

Valentinus Schreccius
En hic unus lucet ſacris!

*CUm mea Muſa tui meletemata ſacra parentis*
*Perlegeret, frugem qvæ pietatis alunt:*
*Dicebat: Vates* en ſacris lucet hic unus!
*Eſt ſacer, & ſacræ ſemina mentis habet.*
*Tu qvi nomen idem geſtas cum laude parentis,*
*Hunc luſum Muſis accipe jure tuis.*
*Nam poſtqvam genitor migravit ad aſtra; Poëſis*
*In te nunc ſedem ſacra parentis habet.*

Joachimus Arnoldius
Muſis laudi, ac honori.

*DIgna ſacris qvandò Muſis & Apolline ludis*
*Carmina, divitiæ, qvæ, JOACHIME, tuæ:*

Tu laudi Muſis ac *ſummo exiſtis* honori;
*Doctorumq́ʒ colit te pia turba virûm.*

Henricus Copius
Hîc Superis vinco.

I*N me tota ruat qvamvis Acherontia moles;*
*Hæreticûmq́ʒ vibret ſpicula dira cohors:*
Hîc vinco Superis, *& vivi fulmine verbi,*
*Qvà Chriſti in patriâ dogmate paſco gregem.*

Andreas Cnutius
Sat dura vincens.

S*I te perverſus vexet cum Dæmone mundus,*
*Sorsq́ʒ premat rabidis impetuoſa minis.*
Dura ſat *in* CHRISTO vincens *patiente ferendo*
*Pectore, tu tanti Numine victor eris.*

Michaël Braunius
Lumine charus abi.

NOſſe Dei Natum rectè, ſapientia ſumma eſt:
Deſipit at ſapiens, notitiâ absq; Dei.
Grande Dei donum eſt, didiciſſe fideliter arteis:
Majus at eſt, ſanâ Relligione frui.
*Utroqʒ excellis,* BRAUNI *cultiſſime, dono;*
*Gratia qvæ felix eſt celebranda Dei.*
*Præ reliqvis verô te lumine Jova beavit;*
*Qvid verum & falſum ſit, benè noſſe dedit.*
*Plenus amore Dei vitæ ſis tempore: Chriſti*
*Salvifico, MICHAEL,* Lumine charus abi.

Andre-

Andreas Daſius
Deus ſana; daris.

INfinitæ premunt ægri nos vulnera cordis;
*Qvæ ſanare, Deus tu niſi, nemo poteſt.*
*Sancte* Deus ſana, *qvoniam* daris *ipſe petenti:*
*Fundo preces: da te, Spiritus alme, mihi.*

Ioannes Eccardus
En Deo carus canis!

MUſica grata Deo, vitæ cœleſtis imago eſt,
Triſtificos animi ſveta fugare notos.
*Teutona præſtantes produxit ab arte canendi,*
*Dulcia qvi fingunt cantica, terra viros.*
*Præripiens multis palmam Cantoribus, almo*
En, *ECCARDE*, Deo carus, *amice*, canis!
*Qvem fovet ad Breglam clarâ Dux Pruſſus in arce,*
*Nempe tuâ regitur Muſicus arte chorus.*
*Unſtrutæ Tyrigetûm fluvio dum proluit arva;*
*Muſici honorando nomine clarus eris.*

Iohannes Siderus
Oh anne ſidus eris?

CUm *Phœbi mecum luſtrares, JANE, receſſûs,*
*Qvà jacet æriferis Myſa Friberga jugis:*
*Ingenium excellens mirabar, & enthea mentis*
*Munera, qveîs Muſæ te voluêre frui.*
Oh, *dixi, pergas, faveant modò Numina, ceptis:*
Anne *ſecuturo tempore* ſidus eris?

Geor-

Georgius Holtzendorpius
Egregius Sol ortus Pindo.

*COmmendabat ubi Phœbi Prætorius hoſpes*
*Pieriſin vatis carmina docta boni:*
*Cynthius, addetur ſi laurea ſilva capillis,*
Egregius Pindo Sol *erit* ortus, *ait.*

Joannes Beatus
Eſt bonus à venâ.

ESt bonus à venâ *vates felice BEATUS,*
*Cum tua legiſſet carmina, Phœbus ait:*
*Vena Dei munus: feliciter utere venâ,*
*Numinis in laudes, JANE; beatus eris.*

Micaëlus Gervenus
Amice, en urge luſus!

QVi Phœbi luſus amat, hunc amat ille viciſſim,
Et facit, ut meliùs carmine vena fluat.
En *te Phœbus amat, MICAELE, fidelis* Amice,
*Dum doctis gaudes luſibus ingenij.*
*Sic* urge luſus, *nec abutere luſibus iſtis.*
Dignorum & ſummi facta canenda Dei.

Joannes Hartvicus
Charus Jovâ nitens.

CHarus, *JANE,* nitens *in Jovâ gaudia ſumis:*
*Felix, qvi Jovæ carus amore nitet.*

Simon Struvius
Vir Muſis notus.

*STRU-*

STRUVIUS, *in lucis qvem Goslaris edidit auras,*
Vir Muſis *epico carmine* notus *ovat.*

Johannes Hojerus
Ah honor es in Jeſu!

D*Um Dalemenſis agri, venerande Hojere, popellum*
*In purâ fidei ſimplicitate doces:*
Ah honor in Jeſu *Nato Genitoris* es *almi;*
*Majus at in cœlis lumen honoris erit.*

Martinus Hugo
Gratus in humo.

Q*Vi pia ſalvifici pandis myſteria verbi,*
*Concinis & laudes, non ſine fruge, Dei:*
*Non ſuperis tamtùm, ſed & auditoribus audis*
*Paſtor* in *Obringâ* gratus *& aptus* humo.

Antonius Muller
Laus, lumen, nitor.

LAus, nitor, *ac* lumen *Phœbi, Clariæq; cohortis*
*Diceris, ANTONI: ſic Anagramma ſonat.*
*Excolere à Phœbo conceſſam pergitò venam:*
*Sic Phœbi lumen, laus, nitor eſſe potes.*

(H)enricus Domlerus
Doces, lumen ruris.

D*OMLERE, invicti puriſſima dogmata Chriſti,*
*In verâ populum qvi pietate* doces:
*Kirſplebÿ es* lumen, *Chriſto duce & auſpice,* ruris;
*Hoc rectè felix ut Metagramma docet.*

Mic(h)aël Bietcovius
Io, tu amice lucebis!

*Dum ſincera gregi, BIETCOVI, dogmata tradis,*
*Et monſtras populo, quà ſit ad aſtra, viam:*
*Tu ceu ſidus* Io lucebis amice, *Redemtor*
*Cum veniet, reddens præmia digna bonis.*

Joachimus Decimator
Io! Hic Muſa mirè docta.

*Pauca, ſed apta videns tua carmina, dius Apollo,*
*Calliope finxit qvæ, JOACHIME, tibi;*
*Dixit:* Io! Mirè docta hic *eſt* Muſa; *Poëtæ*
*Qvæ meritò poterit nomen habere boni.*

Mic(h)aëlus Mirus
Sum acer, humilis.

*Non me faſtus habet,* humilis ſum *mente, ſed acer,*
*Crimina cum verbo punio fœda Dei.*
*Hæc etenim verbi virtus eſt digna miniſtro,*
*Ut dictum leni temperet acre ſono.*

Georgius Bruno
Egon' urbi ſurgo!

*Dum mihi conceſſa eſt felix ab Apolline vena;*
*Qvâ celebro dignos, & pia facta Dei;*
*Crebriùs & certo melicâ bonitate Poëtis:*
*Patria* egon' urbi *carmine* ſurgo *mea?*

David Bochmanius
Dic bona Muſa diu.

WAllenrodæo MARTINUS ſtemmate natus
Monſtravit Muſæ pauca reperta tuæ,
Mi BOCHMANE, tuæ virtutis munera laudans,
Ingeniiq́ dedit qvod tibi Muſa decus.
Dic bona Muſa diu, ſacram ſic perge Poëſin
Excolere, ajebam: te comitabit honos.
Omnia diſpereunt, dubijs obnoxia fatis:
Gloria Muſarum carmine parta manet.

*Aliud.*

Davides Bochmann.
Candidus manebo.

SUnt in amicitiâ multi, candore carentes,
Triſtia qvi dulci melle venena tegunt.
Collega interdum Collega fidelis amico
Eſſe negat: ſocij ſubdola ſæpè fides.
Candidus & conſtans ſincero corde manebo,
Nec violabo ſacræ nomen amicitiæ.

*Aliud.*

Davides Bochmannus
Hem bonus, ac candidus!

CAntori invideat Cantor, BOCHMANE, Poëta
Livoris feriat fulmine Phœbiſeqvum.
Expers invidiæ tibi cor, mens neſcia fraudis:
Hem bonus, ac verè candidus ipſe mihi es!

Chriſtianus Cladenius
Hac Lauru nitens diſcis.

LEcta relecta tuæ mihi ſunt meletemata Muſæ;
Iſta meo vatis nomine Phœbus amat.
Ergo, reor, Muſis ibis gratisſimus hoſpes;
Ceu ederæ fulcrum flexile germen amat:
Ingenium & Muſas animat ſic fama Poëtæ,
Et viret æternæ laudis amicus honor.
Junge comis Laurum, ſurgit qvæ Cæſaris horto,
Qvam tibi Caſtaliis Muſa paravit agris.
Hac Lauru, CHRISTJANE, nitens qvampluri-
ma diſcis,
Abdita qvæ paſſim ſacra Poëſis habet.
Hæc, mihi crede, Daphne calcar tibi fortius addet,
Facta Dei ut celebres, dignaq́ facta virûm.
Oſterburga ſuis ſic exultabit alumnis;
Et magis atq; magis creſcet honore tuo.

Simon Mœllenbecius
Lumen loci es; monebis.

NErvoſum fingis, Phœbo dictante, meliſma:
Lumen es hinc patrii, SIMO polite, loci.
Pectora diſcentum Muſis addicta monebis,
Pallados in caſtris tempus ut omne terant.

Joannes Barthius
Ah is in arte bonus!

CYnthius ut legit juvenis meletemata BARTHI:
Ah is in arte bonus ſcriptor, ait, metricâ!
Si noſtro perget numeris adſurgere honori,
Me cenſore, Daphnes ſerta decora geret.

Creſcen-

*Creſcenti Laurus calcar dabit innuba vati;*
*Marchidos & veteris nobile ſidus erit.*

Johannes Macovius
An honos Muſæ vici?

I*Nnumeros vici qvando virtute labores,*
*Me ſtudijs partus jure manebit honos.*
*Immortale decus vatum ſacra munera Daphnes,*
*Præmia virtutis, ſervat Apollo mihi.*
*Dum* vici *plureis generoſo carmine, fallor?*
An Muſæ *dicar perpetualis* honos?

Mathias Macovius
O hic Muſas amavit!

M*Etra legens juvenis generoſus Apollo,* Makovi,
*Qvæ Gedani melicâ luſit amœna chely;*
*Dixit:* O hic Muſas *in vere ætatis* amavit!
*Inde Polonorum nobile lumen erit.*

Joannes Stobæus
Jeſu nos natos bea.

U*T genitor Nati vehementi flagrat amore;*
*Et, qvocunq; poteſt, hunc juvat auxilio:*
*Æternus ſic nos Genitor dilexit ab ævo,*
*Ut Natum unigenum, maxima dona, daret.*
*Credentes in eum caderent ne morte perenni,*
*Sed vitæ caperent ut melioris opes.*
*Ergo* bea, *donans cœleſtis munere verbi,*
Nos natos, Jeſu, *qvi tua membra ſumus.*

*Sic tibi perpetuos læti cantabimus hymnos,*
*Quà viget in cœlis gloria, vita, ſalus.*

Joachimus Cæſar
Io heic ſacra Muſa!

D*Icite Io vates! Heic eſt in* CÆSARE ſacra
Muſa, *Deum celebrans laudibus, atq; viros.*
*Digna viro vates cecinit juvenilibus annis*
*Metra, nec eſt docto patre Poëta minor.*
*Imò patrem ſuperat cithara graviore cothurno:*
*Cæſario dignus munere* CÆSAR *erit.*

Lucas Ecſtormius
Muſas colet curis.

E CKSTORMI *proles non degener, optime* LUCA,
*Sidere qvem Phœbus proſperiore tulit:*
*Qvàm verè de te retulit præſagia nato:*
*Hic* Muſas curis *nocte dieq;* colet.
*Præmia curarum ſuſceptorumq; laborum*
*A Muſis olim nobiliora feret.*
*Res probat augurium: veſtigia patris adoras*
*Gnaviter, & ſtudij das documenta tui.*
*In ſenio meruit Genitor cum laude coronam:*
*Te juvenem, ut calcar, Laurea verna manet.*

Joannes Heinericus Meibomius
Homo cinis in Jeſu verè manebis.

E St cinis *omnis homo, in vitijs conceptus, & auras*
*Natus in ætherias, crimine merſus adhuc.*

*Sacrâ*

*Sacrâ lotus aqvâ Chriſtiq; cruore redemtus,*
In Jeſu verè, *JANE*, manebis homo.

Fridericus Zamehlius
Ah fidelis curre Muſis!

*Q*Vi benè Pindaricos noviſti extollere folleis,
*Non humili gaudens, at graviore lyrâ:*
Ah *bone ZAMEHLI, cum* Muſis curre fidelis!
*Atq; cothurnato carmine qvære decus.*
*Sic nova lux patriæ felici ſidere ſurges:*
*Victori dabitur ſacra corona tibi.*

Joannes Paulus
En pia ſano luſu!

*E*Cqvid in Aönio cepiſti monte ſoporem,
*Dum tibi multiplici Muſa canore favet?*
*Et patris & fratrum veſtigia gnavus adoras,*
*PAULE, Meduſæi pulle polite chori.*
*Adjungis Sophiæ metricam feliciter artem;*
*Judicij hinc acies robur & augmen habet.*
*Ingenij partus offers luſusq; tot & tot,*
*Qvos mihi, ſinceri ſigna favoris alunt.*
En pia, *JANE, canis* ſano *meletemata* luſu!
*Unde perennantis laudis aroma capis.*
*Perge tuæ Muſæ venam excoluiſſe benignam,*
*Sic teneras cinget laurea ſilva comas.*
*Dent ſuperi ætatem, qvi plurima dona dedêre,*
*Ingenij, docto carmine clarus eris.*

Joannes Iſendorfius
Jeſu nos in fide ornas.

M*Onſtra tot in mundo regnant Pantuſiadarum,*
*Qvæ Chriſtum verum non hominē eſſe ſinunt:*
*Illius at carnem conſvetâ mole carentem,*
*In cunctis ponunt & ſine fine locis.*
*Electos,* Jeſu, nos, *qvi tua membra cluemus,*
Ornas in *verâ ſalvificâq́;* fide.
*Ne portentoſa abducant nos tramite recto*
*Dogmata, ſub veri fictitiâ ſpecie;*
*Conſerva in ſanæ nos Relligionis amore,*
*Ne tibi fictitiâ laude feratur honos.*

Joannes Scultetus
O ſanè cultus nites!

E*Xtera, cum fuit tibi, viſere regna, redires*
*Moribus ad patrios cultus & arte lareis.*
*Extera vidiſti regna, ô* SCULTETE; *rediſti*
*Moribus ad patrios cultus & arte lareis.*
*Numinis excelſi qvæ fert laudesq́; virorum,*
O ſanè cultus *Muſicâ in arte* nites!
*Nec ſatis Aönio te, reris, ab amne bibiſſe,*
*Argentinenſes rurſùs adire paras.*
*Fauſtus abi, felixq́; redi cum gloriâ ad Iſtrum;*
*Ut de te capiat gaudia uterq́; parens.*

Joannes am Ende,
En in Deo maneas!

D*Octe vir, alma Trias te condidit, atq́; redemit,*
*Et tua ſacratis pectora lavit aqvis.*
*Seu vivas, ſeu te putris tegat urna ſepultum:*
In *ſancto* maneas en *pie* JANE, Deo!

Alber-

Albertus Bœltſius
O terſus, bellus abit!

*TErſus ad Albicolas ô artis amore Camenas,*
BOLTZIUS *Aönidum flumine* bellus abit!
*Eſt cupidus terſos ſtudioſo evolvere niſu*
*Scribtores, terſe ſcribit, & hinc loqvitur.*
*Dum patriæ præfert Muſarum habitacula amori,*
*Ad patrios magnâ laude redibit agros.*
*Det Deus ingenio vireis, ac robora membris,*
*Ut dicam: Sophiæ cinctus honore redit.*

*Aliud.*

Albertus Bœltſius
O bellus eſt artibus.

*ARteis & Juris ſtudium, lingvamq; Latinam*
*Dum ſummâ, BOLTZI, ſedulitate colis:*
*Tranſpoſitis benè litterulis operoſus Apollo*
*Nominis invenit tale Anagramma tui:*
BOLTZIUS ô *ſacris* eſt bellus *in* artibus; *olim*
*Barbariem contra & pia bella geret.*
*Hæc Phœbus. Gaude Phœbo gratisſime BOLTZI:*
*Artibus es bellus, barbariemq; fuga.*

Robertus (H)acus
Beatus Curſor.

*SEmita lata ſat eſt, qvæ ducit ad infera regna:*
*Aſt via cœleſtis magna capaxq; minùs.*
*Maxima pars mundi currit Phlegethontis ad undas,*
*Qvas meruit toties impietate ſuâ.*

*Præ multis clares* curſor, *ROBERTE,* beatus:
*Numina non ſictâ dum pietate colis.*

Gaſper Zacherus
Charus es, pergas.

CHarus es, *& gratus Muſis, ZACHERE, Deoq́;*
*Tu* pergas *animi doteplacere bonis.*

Andreas Singerus
Anne ardes? ſurgis.

ANne *ſacras* ardes *Phœbi cum laude ſorores?*
*Virtute ingenij* ſurgis, *amicè, bonis.*

Joachimus Polcovius
Polo ſocius hîc vivam.

CHriſte polo ſocius *tecum, cunctisq́; beatis;*
Hîc vivam: *vita hæc neſcia finis erit.*

Joachimus Qvirlingus
I, qvi lingva, cor Muſis.

QVem mihi junxerunt Theſei fœdere amoris
*Stendalij, in patrio Muſica caſtra ſolo:*
*Hunc mihi nunc iterùm Viadrina Academia reddit,*
*Confirmaretur qvò magè priſcus amor.*
*Heic Muſæ, qvas totus amat, cor nectare, lingvam*
*Melle repleverunt illius, atq́; favo.*
*Cor & lingva cluet vocis dulcedine Muſis,*
*Et magis inde ejus ſermo decorus abit.*
*Carmina melle fluunt, qvæ fundit ab ore diſerto,*
*Et cum judicio qvod facit, omne facit.*

*Hunc*

*Hunc ego præreliqvis niveo candore valentem,*
*Carminis auctorem carminis auctor amo.*
*Mens eadem nobis qvoniam fuit hactenùs: idem*
*Pòſt, modò dura ſinat Parca, manebit amor.*
I, qvi lingva *clues, & cor, JOACHIME, novenis*
Muſis, *qvò Phœbus te jubet ire, diu.*
*Hinc geris & lingvâ Muſas & corde. Diſertus,*
*Pectoris & lingvæ qvi bona juncta gerit.*

*Aliud.*

Joachimus Cvirlingus
An chori vigil Muſicus?

A*Dſtantem Muſis ut vidit, dixit Apollo:*
*Fallor?* An *hic* vigil *eſt* Muſicus *uſq;* chori?
*Muſicus eſto vigil, ſtudijs intentus honeſtis:*
*Hinc tibi proveniet perpetualis honos.*

*Aliud.*

Joachimus Qvirlingus
O qvis hîc lingvâ mirus?
O qvi ſic lingvâ mirus!

N*Uper Apollineos ſubſiſtens inter olores,*
*Muſa juga organici qvos Heliconis habent.*
*Ecce tuos etiam, QVIRLINGI, docte Poëta,*
*Præ reliqvis cantûs audijt illa tuos.*
*Obſtupuit ſubitò, carmen miratur amœnum,*
O lingvâ qvis *adeſt* hîc *ita* mirus, *ait?*
*Qvisqvis es, ô juvenis, noſtro ſis dignus amore,*
*Atq; tuas ederis cingat Apollo comas.*

*Siq;*

*Siq́ tibi florens tardè proceſſerit ætas,*
*Fluxerit & ſtudiis mitior aura tuis:*
*Auguror, ô multis flos conſpiciende, Poëtas*
*Marchiacos olim non minor inter eris.*
O qvi ſic lingvâ mirus, *vocisq́ canore*
*Nos etiam tentat vincere, laude viget!*

*Aliud.*

Joachimus Qvirlingus
Inqviris uſum Logicâ.

INqviris Logicâ *ſincerum dogmatis* uſum;
*Qvâ demtâ, haut vires debilis uſus habet.*
*Artis cum Logicâ qvisqvis conglutinat uſum,*
*Is doctus, Phœbo judice, habendus erit.*

Chriſtoferus Guldenius
Hic flos ſurgit verendus.

F*Loribus atq́ roſis variis eſt conſitus hortus,*
*Bregela Caſtalias qvâ fovet amne Deas.*
*Pierios inter flores conſpexit ut olim*
*Aurea lecturum carmina* GULDENIUM;
Hic flos, *Phœbus ait*, ſurgit *cum laude* verendus;
*Et ſuus huic juſto tempore fructus erit.*
*Omen erat; tulit ingenii flos frugis aroma;*
*Auroq́ & Lauro carmina digna canit.*

Joannes Grundius
Vnà inſurge donis.
Inſigne onus; dura.

*Pon-*

P*Ondera Atlantiaci ferat hic immenſa laboris,*
*E ſtudijs fructum qværere qvisqvis havet.*
*Sollicitas numeris Latiam chelyn, atq; Pelaſgam;*
*Unde micas Phœbo gratus, & Aöniſin.*
Unà inſurge *tuis*, GRUNDI *cultiſſime*, donis;
*Tuq; novum patriæ, qvod potes, adde jubar.*
*Non ceſſes modò fonte ſacro humectare labella;*
*Et tuus in cepto pulvere pergat eqvus.*
*Fers* inſigne *qvidem, magnumq;* onus; *auſpice Chriſto*
Dura: *fiet onus ſic leve; major honos.*

Petrus Gotbergius
Vt probus eſt gregi!

G*Rex probus Aönidum Clarijs ut vidit in antris*
Gotbergi *mores ingeniumq; probum:*
*Riſit, & una ſoror Phœbi mox talibus infit:*
Ut probus eſt *noſtro laudis honore* gregi!
*Emicat ex vultu probitas candorq; ſerenus,*
*Laudibus & noſtris auribus apta canit.*
*Si perget nobis modulari digna, parabit*
*Nomen, & ex ederis florida ſerta geret.*

Theodorus ab OEſeden,
En tu Deo odores habes!

Q*Visqvis amat Chriſtum conſtans, ejusq; fideli*
*Pectore cuſtodit dogma, beatus erit.*
En, *THEODORE,* Deo tu *fauſtè natus* odores
*In Chriſto vitæ perpetualis* habes!

## Paulus Neander
## Plaude vernans.

*EXoritur nova lux, caſtis celebranda Camenis,*
*Urbs ubi de Regis monte vocata jacet.*
*Vir novus ingreditur caſti nova fœdera lecti,*
*Qvæ Deus ipſe novâ ſorte beare ſolet.*
*Sponſe novelle fave fatis, nova gaudia ſume,*
Plaude *precor* vernans *in nova ſæcla Deo.*
*Qvi nunc vir novus es, qvàm currat hic annus in orbe*
*Menſibus ante, novus mox eris ipſe parens.*
*Enthea nempe Dei benedictio prole beatos,*
*Non Venus ad fraudes ingenioſa, facit.*

## Chriſtoferus Hartvicus
## Hui tu Chriſto carus fers!

*PLurima cultori veniunt toleranda Minervæ,*
*Militiam Chriſti qvi ſubijſſe cupit.*
Hui tu, *laus juvenum, Chriſtum qvi pectore geſtas,*
Fers, Chriſto carus, *qvæ toleranda tibi.*
*Ferre crucem Chriſti mortales mille recuſant:*
*Fer, moneo, HARTVICI candide: victor eris.*

## Joannes Wuſtfeldius
## O ſanè tu unc fidelis uſu!

*ANnus iter cum Sole novum dum ſuſcipit, omnis*
*Pro veteri vitâ ducat, amice, novam.*
*Proh dolor! at jam nulla fides reperitur in orbe:*
Impietas, fraus, & regnat ubiq; dolus.

Eſt

Eſt homini Dæmon homo damno ſæpè nocivo,
Et qvacunq; poteſt arte nocere, nocet.
*Non eadem tibi mens*, WUSTFELDI, *gratus es omnis*
*Qvicqvid enim loqveris, mens tua ſentit idem.*
*Candidus* ô ſanè tu, *JANE*, fidelis & uſu *es*
Une, *Meduſæi laus celebranda chori.*
*Hinc mea præcipuos inter te Muſa ſodaleis*
*Collocat, atq; tuo gaudet amore frui.*
*Smalcalidos meritò te Præſes diligit oræ,*
*Et Charitum ſummo cœtus honore colit.*
*Hoc anno meliore Deus te ſorte ſecundet,*
*Doctrina & ſtudium, qvodq; meretur honos.*
*Detq; brevi, ut præſtans formâ & virtute puella*
*Jungatur lateri, dulcis amice, tuo.*

Joannes VVuſthubius
Bonus ſvavi uſu nite.

TE juvenem *Aönidum Phœbus deduxit ad amnem,*
*Ut tua Caſtalijs labra rigaret aqvis.*
*Hinc mihi viſa nitent ſacro conſperſa nitore*
*Carmina, qvæ venâ divitiore canis.*
*JANE*, bonus ſvavi *claræ virtutis & artis*
Uſu, *cum longâ proſperitate*, nite.

Petrus VVerdermanus
Ter purus munere ſuda,

PUra *Dei donum vena eſt; hanc excole venam;*
*Qvâ potis es dignos & celebrare Deum.*
*Tu PETRE Caſtalio* ter purus munere ſuda;
*Nec ceſſa: terſo carmine clarus eris.*

Joannes Salgovius
O Jova ſalus ingens!

*DIſpereat, rebus fidit qvicunq; caducis;*
*Perpetuiqvæ non jura vigoris habent.*
*Diſpereat, qvicunq; colit ſimulacbra Deorum:*
*Nulla ſalus terris: vana fides hominum.*
*Ergo pijs animis tendamus ad atria cœli:*
O ingens *vitæ regula,* Jova ſalus!

Daniel Pancovius
O plus cane divina!

*INgenium tibi divinum, niſi fallor, amica,*
*Qvo divina canis munera, Muſa dedit.*
*Grandiſoni relegis veſtigia docta Maronis,*
*Unde paris numeris laudis aroma tuis.*
O cane plus divina! *tui ſacra ſerta daturus*
*Augebit vireis Cynthius ingenij.*

Joachimus Bilderbecius
Hîc Dei amoribus lucebis.

*DIvitijs alius mundi per climata lucet:*
*Hic Veneris pulcro lucet honore ſuæ.*
*Martis amore flagrant, Martis qvi ſigna ſeqvuntur:*
*Alter avis amplo fulget in orbe ſuis.*
Hîc, JOACHIME, Dei lucebis amoribus *almo*
*O patrio qvondam lux oritura ſolo!*

Bartholomæus Cranhovius
O tu clarus honore abi Muſâ!

*Inge-*

*INgenio Pallas te, BARTHOLOMÆE, beavit,*
*Dilecte ex carâ nate ſorore nepos.*
O *conſtanter* abi Muſâ tu clarus honore?
*Et perge inceptum laudis inire viam.*
*Si colet ingenium ſolers induſtria, Muſæ*
*Imponent teneris ſerta parata comis.*

Michaël Braunius
Lumine charus abi.

BRUNO, *tui ingenij ſpecimen laudabile vidi,*
*O docti ſuboles ingenioſa patris.*
*Deditus es ſtudijs in vere ætatis, opima*
*Frux tibi in ætatis tempore meſſis erit.*
*Doctus Apollo tui det præmia grata laboris;*
*Pieridum, MICHAEL,* Lumine charus abi.

Nicolaus Hofmannus
An non fulcio Muſas?

AN non *muneribus Cyrrhæas* fulcio Muſas?
*Publica res curæ, & Muſica turba mihi.*
*Omnia perſolvo, quæ debeo, gratus amicis:*
*Dum noſtrâ Templum, dum Schola floret ope.*
*Caſtalidum pergam vitæ fulcimen alumnis*
*Addere: ſic harum munere perpes ero.*
Qvi potis eſt, & non ornat fulcimine Muſas,
Nomine homo tamtùm, cætera truncus erit.

Joannes Maledorpius
Mens pia in Deo ſalvor.

*COrpore ſum corvus: ſed cycnus mente fideli,*
*Mens mihi candidior candidiore cycno.*
Mens pia *ſinceræ fidei & virtutis amica,*
In *vivente* Deo ſalvor; *& haùt pereo.*

Gotfriedus Schaverus
O charus fide ſurget uſu!

*INgeniȷ̈ documenta tui cum fortè viderem,*
*GOTFRIEDE, egregio nobilis ingenio:*
*Nominis hoc Metagramma tui dictavit Apollo;*
O uſu charus ſurget *in aſtra* fide!
*Sit felix omen; Dominus tua cepta gubernet;*
*Et carus purâ ſis maneasq́ fide.*

Valentinus Cabelus
Tu bellus venâ canis.

*STolpiacæ fuerint qvondam duo lumina gentis,*
*Da micuiſſe faces, da rutilare Deus.*
*Prima tibi, PORSÆE, datur, me judice, palma,*
*Qvam dabo, CABELI, palma ſecunda tua eſt.*
*Sit modò Mæcenas, caſtis ſua præmia Muſis*
*Suppeditans, largam qvi tibi præſtet opem.*
Tu canis ô bellus venâ: *gaudebit alumnis*
*STOLPA ſuis, veteri pulcrior illa ſitu.*

Heinricus Julius Baurmeiſterus
Hic lumen erit variis verſibus.

*BURMEISTERE, decus juvenum, qvos Bema celebrat,*
*Vis Anagramma tui nominis eliciam.*

*Acci-*

*Accipe, qvod dictat mihi Cynthius; omen id ecce*
*Nomini ineſt; omen firmet Jöva precor.*
*Si colere Aönidas perget, me judice, qvondam*
Verſibus hic varijs *nobile* lumen erit.

Erneſtus Gotlingius
Ingens ut Sol ſurget.

I*Ngens ætheriâ* Sol ut *conſurgit in arce,*
*Et radijs toto fulget in orbe ſuis:*
*Sic ope divinâ qvondam* GÖTLINGIUS ingens
*Ingenij donis* ſurget *in aſtra ſui.*

Joannes Heinericus Freitagius
Hic inſigni vi venæ roſas feret.

HIC *adoleſcentum fulgor* FREITAGIUS *ingens,*
*Ingenij æternas qveis Bera vectat opes.*
Inſigni venæ vi, *qvam Permesſidos undâ*
*Muſa rigat, Clarias mox* feret *arte* roſas.
*Hic etenim, Phœbi niſi me præſagia fallunt;*
*Bellerophontæas vincet odore roſas.*

Martinus Frœſchelius
Hic fors arte ſuis lumen.

I*Lfeldæ cum te Muſarum ſigna ſeqventem*
*Cerneret, hoc de te Muſa Anagrmma dedit:*
*Si dabit optatum ingenij flos frugis aroma;*
Hic fors arte ſuis *nobile* lumen *erit.*

Georgius Peiferus
O pius, egregius fer!

O Pius, egregius *juvenili ætate labores*
Fer, *PEIFERE, tibi qvos Schola docta parit.*
*Sic Jovæ qvondam præco pietatis alumnos*
*In verâ poteris instituiſſe fide.*

VVolfgangus Erneſtus Hammer
Hem tu Muſâ ſurgens fulge, orna!

*D*Um *ſpes Aõnîdũ*, WOLFGANGE ERNESTE, *beavit*
*Te natura bono mitior ingenio:*
Hem Muſâ ſurgens fulge, *venientibus annis;*
*Et patrios* tu orna *fulgidus arte lareis.*
*Sic æterna tuum comitabit gloria nomen;*
*Muſaq́ perpetuæ conſcia laudis erit.*

Ludovicus Malendorpius
Sudo; lumen dicar pio luſu.

*A*Rtibus *in ſacris dum* ſudo *fideliter, & me*
*Ad Clarium ducit doctus Apollo lacum;*
*Inq́ Dei laudem dum ludo meliſmata;* luſu
*Ipſe* pio dicar lumen, *& artis honos.*

Joannes Eilerus
Sanè vir lenis eo,

*Q*Vi *cum laude cupit teneram formare juventam*,
*Moribus ac lingvis litterulisq́ bonis:*
*Ne morum feritate ſuâ deterreat illam*,
*Hunc decet humani pectoris eſſe virum.*
*Artibus ingenuis verò doctrina paratur;*
*Qvâ feritas morum pectore cedit iners.*

*Hinc*

*Hinc* ſanè vir eo, *Muſarum munere* lenis:
*Et morum teſtis ſermo fidelis erit.*

Martinus Prætorius
A me purus nitor artis.

D*Um leges arteisq́; colo* PRÆTORIUS: A me,
*Et* nitor *&* purus *fulgeat* artis *honos.*

Adelarius Gitlerus
Tu laudaris; relegis.

C*Halcographos inter, qvos Urbs Erphordia nutrit,*
*Doctrinâ nemo te ſuperare poteſt.*
*Hinc* tu laudaris *meritò, palmamq́; reportas;*
*Componis ſtudiò non modò litterulas;*
*Sed qvoq; compoſitas* relegis; *ne forſitan error*
*Deformet librum, menda vel atra, novum.*
Compoſitor plerunq; ſolet rudis eſſe typorum:
GIDLERE, *officium fac tueâre tuum.*

Andreas Prolius
En roſa, pars ludi!

U*T decus hortorum vernali tempore floret,*
*Et flores alios vincit odore roſa:*
*Aönij, ANDREA, decus horti, nobile vincis*
*Sic condiſcipulos ſedulitate tuos.*
En roſa *Pieridum patrij* pars *optima* ludi,
*Ingenij promis frugis aroma bonis!*
*Currere ſi perges ad celſa cacumina Pindi,*
*Ex ederis ſertum finget Apollo tibi.*

Valentinus Frôſchelius

En hîc vivens ſalus floret!

FRÖSCHELIUS *qvando* CHRISTO *ſe dedicat uni,*
*Et meritis ejus nititur, atq; fide:*
En hîc (*non Anagramma ſuo hoc caret omine*) vivens,
*Qvæ venit à Chriſto,* floret *amica* ſalus!

Chriſtophorus Mencelius

Sum ſuper Chriſto Helicon.

Chriſto ſupremus Helicon.

SErvatore ſuper Chriſto *præcinctus amœnis*
Sum *Muſis* Helicon; *qvem gero ſub cerebro.*
Supremusq; Helicon Chriſto *mea dona dicabo;*
*Munificumq; canet noſtra Thaleia Deum.*

Valentinus Metzig

Muſâ genitus lenit.

P*Arva* VALENTINI *laudem qvoq; Muſa meretur:*
Interdum minimis gratia rebus ineſt.
Æ Muſâ genitus *ſinceros* lenit *amicos*
*Carmine, qvo celebrat munera magna Dei.*
*Jhova det huic, opto, fortunæ dona benignæ;*
*Ut ſtudijs proſit pluribus, atq; Deo.*

Michaël VVendius

Hîc Deus lumen, via.

Q*Vi vitam ſacrâ ducit pietate probatam,*
*Juſtitiâ atq; Fide, qvæ placet una Deo:*
Hic Deus *eſt* lumen, via, CHRISTUS, *Patris imago:*
WENDIUS *hoc faciet lumine tutus iter.*

*Hic*

*Hic preſſum denſâ mortis caligine claram,*
*Jucundâ fecit luce videre diem.*
*Hunc regat æternùm Dux hic, ne lumine caſſum,*
*In mala præcipitem perfidus hoſtis agat.*
*Ejus & ætherio firmet veſtigia verbo,*
*Monſtret & optatæ nobile pacis iter.*
*Quò rutilæ ductus dio facis igne per umbras*
*Orbis eat rectâ tutus ad aſtra viâ.*
*Atq; ibi conſpectu Patris, Natiq;, Sacriq;*
*Flaminis, æternâ luce beatus agat.*

Chriſtophorus Frencelius
Hic è Chriſto purus florens.

*Q Vot miſeros homines ſpacioſi machina mundi*
*Continet, heu caſſos cognitione Dei!*
*Numina qvi falſò venerantur inania cultu,*
*Seq; putant ſalvos hac ratione fore.*
*Sed procul à vero cœci dum tramite aberrant,*
*Pro vitâ tenebras & Stygis antra petunt.*
FRENCELIUS *paucos inter toto aſſe beatus,*
*Qvi fruitur verâ cognitione Dei.*
Purus hic è Chriſto florens, *Baptiſmate lotus,*
*Et ſacro ſparſus ſangvine ſalvus ovat.*
*Felix, qvem talis divini Numinis adflat*
*Gratia, non multos qvæ comitare ſolet.*
*Ergò devictô Satanâ, mortisq; tremendæ*
*Imperio, in Chriſto tempora lætus age.*

Joachimus Loitſcius
Si lis, tu amicus joco.

L*Ætitiæ jam tempus adeſt, date jubila Nupti:*
*Jam te lætitiæ da,* JOACHIME, *novæ.*
*Gratulor, & votum ſuperaddo, ut nulla moleſtet*
*Connubiale unqvam lis rabioſa jugum.*
Si lis *orta fuit levibus de rebus,* amicus
Tu, *JOACHIME,* joco *ſis, & abibit Eris.*
*Pronuba Juno torum fœcundet, prole, ſecundo*
*Auſpicio firmet, præſidioq; juvet.*
*Teq; tuamq; precor Sponſam tutetur Jova:*
Cœlica qvem jutat gratia, tutus erit.

Adamus Hamelius
I, lude, ama Muſas.

D*Ulcis* ADAME, *patris ſpes, Aönidumq; voluptas,*
*Virtutis ſtudio nobile qvære decus.*
*Qvod facis,* I *felix ad celſa cacumina Pindi,*
Lude *mele, &* Muſas, *more parentis,* ama.
*Pieris æternâ ſic te ſacra laude beabit;*
*Et nomen tribuet perpetuale tibi.*

Andreas Ambroſius
Duras, roſa manebis.

ANDREA, *Charitum decus indelebile, nuper*
*Exortum noſtræ ſidus amicitiæ:*
*Te qvamvis vidi non hactenus, attamen abſens*
*Cognovi fidum cordis agalma tui.*
*Fidus in adflictis tu* duras *rebus amicus;*
*Et mutant mentem tempora nulla tuam.*

Hinc

*Hinc roſa Pieridum, noſtriq́ʒ* manebis *amoris:*
*Dum roſa purpurei tempore veris erit.*

## Abelus Trevigerus
## Artibus ſurge; elue.

*EXſpectate diu, patrijs es redditus oris*
*Tamdem, Caſtalij ſpes, TREWIGERE, chori.*
*Teutonicas arſit tibi mens inviſere Athenas,*
*Inde redis gratus, cultior arte, domum.*
Artibus *ingenuis ad cœli ſidera* ſurge,
*Patria qvò per te posſit habere decus.*
Elue *barbariem, patrios qvæ faſcinat agros,*
*Artibus & tenebras perniciemq́ʒ vehit.*
*Sic Inſtræa ſuo tellus florebit honore,*
*Nominis & capiet perpetuale decus.*

## Chriſtoferus Glucratius
## O Chriſtus gratus lucifer!

*PErpetuis fuimus nos turba ligata tenebris,*
*Criminis admisſi pergrave propter onus;*
Lucifer *at* Chriſtus *nos almâ luce reviſit*
O gratus! *redijt qvo veniente ſalus.*
*Qviq́ʒ ſedebamus perituri mortis in umbrâ,*
*Turba ſalutari morte redemta ſumus.*
*Qvi non perpendit merita hæc, neqʒ crimina deflet,*
*Nec celebrat laudes pectore & ore DEI:*
*Heu, malè gratus homo, non, qvi intueatur Olympum,*
*Qvemqʒ gerat moles terrea, dignus erit.*

Albertus Groſius
Laus orbis ſurget.

ALBERTUS *pietate nitet, nitet indole magnâ,*
*Sedulus & magno præditus ingenio.*
*Phœbus ait: patriæ* ſurget laus *urbis &* orbis,
*Si flos ingenij frugis aroma feret.*
*Sis pius, & ſacras addiſce fideliter arteis,*
*Excole & ingenium ſedulitate tuum.*
*Dent annos ſuperi; ſat munera larga dederunt,*
*Orbi qvò ſurgas laus patriæq; decus.*
Virtus ac pietas, culturaq; mentis & artis,
Fallor? an hæc cunctis ſunt potiora bonis?

*Aliud.*

N*Atus es ad Muſas, vigilans* ALBERTE, *colendas*
*Ingenij magna qvi bonitate vales.*
*Hinc nomen* MAGNI *fecit tibi Muſicus ordo,*
*Omen qvi faciet nomen habere tuum.*
Laus orbis ſurget, *cum plauſu exclamat Apollo;*
*Nominis atq; probant Muſæ Anagramma tui.*
*Ut pietate præis omneis, ſic ſedulus usq;*
*Diſcipulos ſuperas artis amore meos.*
*Diſce bonas arteis, ſic fies nomine & arte*
*Maximus, ô noſtri floſcule Gymnaſij.*
*Munera fortunæ pereunt, ſed munera mentis*
*Æqvalem,* GROSI, *te ſuperis facient.*

*Aliud.*

Albertus Groſius
Gratus eris bolus.

*AGricolis velut in dulci ſudantibus agro*
*Delicium eſt boli ſufficientis olus:*
*Sic qvoq;* gratus eris *Muſis, dent Numina*, bolus:
*Dent vitam, ingeniј dona dedêre tibi.*

*Aliud.*

Albertus Groſius
Surge Sol artibus.

*FLoſcule Muſarum, G R O S I, virtutis amator,*
Sol ſurge *ſacris* artibus.
*Diſcipulos pietate præis, velut impiger omneis,*
*Sic Sol eris patriæ unicus.*
*Corporis, ingeniј, fortunæ munera donans.*
*Deus det annos, Sol eris.*

*Aliud.*

Albertus Groſius
Tu ſis robur, legas.

*MAgne puer,* tu ſis robur, *fulcrumq; Camênis,*
*Scribtores omni ſedulitate* legas.
*Volvas adſiduè juvenili ætate Poëtas,*
*Ex illis diſcas ut facere apta mele.*
*Nam tibi poſt cineres donabunt carmina vitam:*
Omne decus ſentit funera; Muſa neqvit.

Johannes Cruſius
Hui roſas vincens!

*ESt inſtar ludus pulcri laudabilis horti;*
*Qvem variјs ornat floribus ipſe Deus.*

Hui

Hui vincens, CRUSI, *Phœbi roſa pulcra nitore*
*Aureolos flores, aureolasq́ʒ* roſas!
*Ut reliqvos ſtudio poſſis fac vincere, qvantum*
*Diſcipulos vincis frontis honore meos.*
*Ingenio vireis addat ſator unicus orbis;*
*Ille riget florem cœlite rore tuum.*

Joſephus Cranizerus
Ohe is Muſis percharus!

D*Um varias urbeis peregrinaq́ʒ regna videre*
*Te juvat, & Phœbi mitia caſtra ſeqvi:*
Is percarus ohe Muſis, JOSEPHE, *politis:*
*Et venient ſtudijs commoda multa tuis.*

Tobias Kilius
O ſic tibi laus!

A*Dfinis tuus* ALBINUS, *vir docte, Poëta*
*Albo candidior cycno,*
*Non ſcelerata tuæ, ſed grata reperta Camenæ*
*Monſtravit cupido mihi;*
*Perplacuêre. Sed & turbæ placuêre novenæ,*
O laus ſic tibi *fulgeat!*
*Dicebam, juveniq́ʒ viro ſene digna canenti*
*Ævi proroget arbiter*
*Annos ætatis; pergas modò: carmine ſurges*
*Laus & Tyrigetûm decus.*

Joannes Stahr
Ah nitens Roſa!

*Ut roſa, in Aöniis flores, mi* STURNE, *roſetis;*
Ah, JANE, *Aönidum pulcra* nitensq́; roſa *es!*
*Non ſturnum, cùm tàm dulciſſima carmina fingas,*
*Sed te Muſarum nomino luſciniam.*

Joannes Rudolfus VVernerus
Nonne flos arduo verſu vires?

*Dum ſacram Sophiæ jungis, RUDOLPHE, Poëſin,*
*Juvenilia edens carmina:*
*Gloria qvi patris es, Clariarum* nonne *ſororum*
Verſu vires flos arduo?

Martinus Cremerus
Tener Muſis curram.

*Tiro* tener Muſis curram *cum laude novenis,*
*Ad juga Parnaſi qvà grave ducit iter.*
*Sic mihi qvando dabit vireis maturior ætas,*
*Serta dabunt teneris floridiora comis.*

Marcus Hane
Charus mane.

MARCE *pie, ſtudiis addictus es, atq; Minervæ,*
*Eximii præſtans dotibus ingenii.*
*Ut tribuas tempus lingvis ac artibus omne,*
*Et capias qvondam clarus ab arte decus.*
*Pluribus, Aönidum tecum qvi caſtra ſeqvuntur,*
*Præripis en palmam ſedulitate tuâ.*
*Inde parentibus es carus, ludiq́; magiſtris,*
*Indubitata patris gloria, matris amor.*

*Immò qvod magis eſt, es charus, MARCE, Jehovæ*
*Uſq́ Deo* charus, *ſedule MARCE,* mane.

Martinus Wilde,
Lumen, dia virtus.

D*Ia meo cordi* lumen *det amabile* virtus:
*Cuncta meræ ſine qvo lumine ſunt tenebræ.*

Johannes Jacobus Cratzius
Carus Jovæ, ſanctis, bonis.

P*Arve qvidẽ, major qvondam ſed habende per artẽ,*
*Ceu ſuperas magno de genitore ſatus.*
*Ut patris & matris nunc clarus haberis ocellus,*
*Sic olim patriæ fama futura tuæ.*
*Multipotens rerum tibi nil natura negavit;*
*Si modò det vitæ ſtamina longa tuæ.*
*Sis pius, artis amans, &* carus *habebere* Jovæ,
*Carus eris* ſanctis, *carus erisq́* bonis.

Joannes Hacius
Hui Siona canes!

I*Nvigila ſacris curâ fervente Camenis,*
*Dum celſi præſtas dotibus ingenij.*
*Si flos ingenij fructum feret, auctus honore,*
Hui *ſacrum qvondam, JANE,* Siona canes!

Samuel Gerveſius
E Muſis ſurge, vale.

I*Ngenioſa patris ſuboles, veſtigia calca,*
*Patris, &* è Muſis ſurge, valeq́ *diu.*

Caſpa-

Caſparus Neevius
Verè pius ac ſanus.

SIS verè pius ac ſanus, *ceu nominis omen*
*Prodit, ſit ſano in corpore ſana anima.*
*Si veſtigia, mi CASPARE, utriusq; parentis*
*Fida coles, pietas præmia larga feret.*

Johannes Jacobus Nævius
Ah in Jova bonus eas; vinces.

D*Um tener Aönidũ ſectaris caſtra, JOHANNES,*
*Et capere è ſtudijs frugis aroma cupis:*
*Sis pietatis amans, audi meliora monentes:*
Ah bonus in Jovâ *divite ſemper* eas!
*Sic magnâ* vinces *Muſarum obſtacula laude,*
*Et patriæ paries ſedulitate decus.*

Johannes Prætorius
En honor ſis patri! Ave.

PRÆTORI, *ſuboles docti ingenioſa parentis,*
*Pierides cujus laurea ſilva premit:*
En honor *egregio* ſis patri *nobilis uſu,*
*Scanſurus ſtudij culmen honoris;* Ave.

Chriſtoferus Crugerus
Fer Chriſto, ſurge curſu.

D*Ura* fer *in* Chriſto; curſu *ad cœleſtia* ſurgẽs
*Phœbéamq́; lyram dilige, clarus eris.*
*Curre benè; inceptos nunqvam dimitte labores:*
*Qvi benè ceſſavit currere, victor erit.*

Joachi-

Joachimus Dœbelinus
Subi, honos ludi emica.

ARtis amore ſubi loca dilectisſima Muſis,
DÖBLINE ſolers, emica
Dulcis honos ludi; capit hinc Eccleſia robur:
Salubre cujus organum.
Sis qvondam precor, ut feliciter alma fruatur
Tuo labore patria.

Fridericus (H)eupt
Pius fide curret.

IMpius atq; pius metam feſtinat ad unam:
Curſus ut eſt varius; ſic qvoq; finis erit.
Cujus erit curſus pius atq; fidelis; athleta.
Mortis in articulo digna brabeia feret.
Qvisq; fide curret pius: ô gratisſima cœli
Regna, fide Chriſto qvi duce currit, habet.

Joannes Volbertus
O non latebis verſu!

PUlle Camenarum Clarij flos bellule cœtus,
VOLBERTE, ingenio nobilitate bono:
Fœcundæ ſpecimen promis laudabile venæ,
Vis animi prodit ſe generoſa tui.
Si Superi dederint annos vireisq; ſalubreis
Corporis, & ſacro Numine cepta reget;
Te labor ætheriæ virtutis ad atria ducet;
Optatæq; bonum frugis aroma metes.

Cur-

Currenti fas eſt robuſtius addere calcar;
Acer & hortatu fortius ibit eqvus.
*Magne puer, teneris & adhuc creſcentibus annis,*
*Cepiſti, ad Muſas carpere perge viam.*
*Ingenuas conjunge pijs cum moribus arteis:*
*Parvus es, exiguo tempore magnus eris.*
O non, *crede mihi,* verſu, *VOLBERTE,* latebis!
*Sed Clariæ exiſtes fama perennis aqvæ.*
*Ipſe tui, ut cernis, præconia digna peregi*
*Ingenij: tu me more parentis ama.*

## Franciſcus VVagnerus
## Vnus carus curâ finges.

P*Ræ reliqvis* unus *qui ſedulitate puellis*
*Es* carus *Clarijs & pietate Deo:*
*Excole, qvam venam conceſſit Apollo; politum*,
*Tu* curâ finges *atq; labore melos.*
*Sic, WAGNERE, tuos clementi ſidere crineis*
*Præcinget folijs Laurus odora ſuis.*

## Andreas Volbert
## En tardus labore!

H*Ilic natura dedit duros perferre labores,*
*Et fera pugnaci ducere bella manu:*
*Aptus hic ad nullos manuumvè pedumvè labores,*
*Sed cerebro victum qværit, amatq; libros,*
Tardus *es, ANDREA,* en *manuumq; pedūq;* labore!
*Arteis ergo bonas diſce, beatus eris.*

*Aliud.*

Andreas Volpertus
En terſus laudabor!

P*Arvus, at Aöniſin ſum deditus, atq; Minervæ,*
*Mens bavet ex illis grande parare decus.*
En *qvondam lingvâ* terſus laudabor *& arte,*
*Dante Deo, patriæ non moriturus honos.*

Chriſtoferus Volpertus
E Chriſto purus lotus: fer.

PUrus *es* è Chriſto lotus, *pie Chriſtifer: ergo*
Fer *Chriſtum: ſic te rurſùs ad aſtra feret.*

*Aliud.*

Chriſtoferus Volpertus
Tu purus es Chriſto; flore.

TU Chriſto es purus *ſacri Baptiſmatis undâ*
*Factus, & hinc vitam ſangvine lotus habes.*
*Sacris ergò libris incumbe; per omnia* flore
*Sæcula; virtutis nobile qvære decus.*

Georgius Snabelius
Egregius; laus bonis.

D*Um benè de tenerâ, vir docte, merere juventa,*
*Et plantas cœlos, non ſine fruge, Deo:*
*Tu vir es* egregius, *ceu nominis indicat omen,*
Lausq; bonis *fulges non moritura viris.*

Leonardus Hœflichius
Hui hic florens! Deo laus.

Hui

HUi florens hic *eſt ſtudijs & laudis honore!*
*Muſa cothurnati vatis amita canit.*
*Et qvia fida ſui veſtigia fratris adorat,*
*Höſlichium Phœbus fecit honore parem.*
*Digna* Deo laus *ſit,qvòd te, LEONHARDE, Poëtam*
*Ingenio dederit nobiliore frui.*

Georgius Caltſmiedius
Egregius Sol Muſâ dicit.

SOl Muſâ egregius dicit, *cum laude ſolutam*
*Orationem cùm recitat,aut carmina.*
*Laus adoleſcentum, qvi Phœbi caſtra ſeqvuntur,*
CALTSCHMIDIUS, *futura gloria patriæ.*

Valentinus Naglerus
Annè ille unus gratus?

I*Ngratos plureis ſemper Scholæ nutrit alumnos,*
*Qvàm gratos,gnavos, diſcipulosq́; pios.*
*NAGLERI ingenium cernens gnavum, atq; modeſtū,*
*Calliope dictis talibus uſa refert;*
*Dent adoleſcenti longam pia Numina vitam:*
*Fallor?* an ille unus gratus *& aptus erit?*

Martinus VVilde
Vir lumen da tuis.

I*Ngenij monſtras fructus:* vir *factus, amicis*
Da *clarum è ſtudijs* lumen, *amice,* tuis.

Friedericus Balthaſar Wernerus
Charus eris artibus: En laude frueris!

QVi doctis viridi Muſis operaris in ævo,
Laus Charitũ, & Clarij ſpes, FRIDERICE, choris
Perge age Palladias ſic deſudare per arteis:
Artibus ac ſtudijs charus & aptus eris.
Auguror: En ſummâ Muſarum laude frueris!
Quæ manet æternâ non peritura die.

Adamus Sidelius
Dia laus de Muſis.

A Scaniâ peſtis, modò qvæ graſſatur in Urbe,
Cauſſa, qvòd hoc lingvas nobile Gymnaſium.
Scilicet hèic verè lingvas addiſcere & arteis
Progreſſu poteras temporis exigui;
Atq; juvante Deo, ſuperato culmine Pindi
Me duce in Aönio nomen habere choro.
Sed qvia fata jubent, hinc gratâ mente recedens
Ad patrios remea, ſorte favente, lareis.
De Muſis laus dia venit: dilecte SIDELI,
Perge ſeqvi Muſas; ſic tibi ſurget honos.

Georgius Horning
Vrgens gregi honor.

HORNINGI, ſuboles Muſis addicta, GEORGI,
Qvi duce me Pindi templa ſubire paras:
Artibus & lingvis jungas pietatis amorem;
Caſtalïdumq; vigens ſis honor ipſe gregi.

Auguſtus Reinart
Tu ſanè vir gratus.

Parve

PArve puer, clari ſuboles laudata parentis;
Qvo naſcente Helicon jubila blanda dedit:
Laudat: preme docta tui veſtigia patris;
Culturam ingenÿ nobilioris ama.
Tu ſanè vir gratus eris creſcentibus annis;
Et patris exiſtes gloria lausq́; patri.

Florianus Mœllerus
Flora vires, Sol, lumen.

TIro vires, ut Flora virens, in Apollinis horto,
Dum Clariæ luſtras ſedulus artis opes.
Qvi benè cepiſti, felici tramite pergas:
Sol patriæ, & celebri nomine lumen eris.

VVolfgangus Friedericus Flac(h)ius
Effulges ſurculus, fac digna viro.

SUrculus effulges Phœbi; venientibus annis,
Digna Deo, & docto fac, FRIDERICE, viro.

Heinricus Coſterius
Hic vir ſincerus eſto.

HIc, qvi nunc puer eſt, factus vir, Numine dextro
Sincerus lingvâ, pectore, & eſto fide.

Tilemannus Coſterius
Carmine uſus Sol nitet,
En Muſis notus claret!

INgenio, TILEMANNE, valens, ſpes magna parentis,
Amorq́; Muſici chori:

*Diſce bonas arteis, lingvasq; in vere juventæ;*
*Spem patris imple gnaviter.*
*Carmen amare velis;* ſine carmine gloria manca eſt:
Virtus niteſcit carmine.
*Ut qvondam verè de te ſic dicere poſſim:*
Uſus nitet Sol carmine.
En Muſis notus *mundi per climata* claret!
*Florebit hic Muſis ſuis.*

*Aliud.*

Tilemannus Coſterius.
Tu lenis è Muſis Cantor.

M*Atris amor, ſpes magna patris*, TILEMANNE, *Deûmq;*
*Deliciæ, & patriæ fama futura domus:*
*Ingenium qvod Jhova dedit tibi, Jhova ſecundet:*
E Muſis lenis tu *qvoq;* Cantor *eris.*

Mauritius Coſterius
Io Muſis carus viret!

MAURITII *ingenium cernens, ita Cynthius inſit:*
Carus Io Muſis, *non ſine fruge*, viret!

Petrus Giſius
Is pius ſurget.

V*Itæ præſentis pietas habet atq; futuræ*
*Præmia, PETRE, patris gloria, matris amor.*
*Qvod facis, ingenium ſtudijs ſic excole mentem,*
*Moribus, & ſacræ ſis pietatis amans.*
*Sic Anagramma omen, qvod Muſa invenit, habebit:*
Is *virtute* pius ſurget, & *ingenio*.

Det

*Det Deus ingenio vireis mentiq; ſalubre,*
*Robur, & ætatem donet, ut alta petat.*

Otto Chriſtophorus Booſius
Oh ſub Chriſto oſtio portus!

O*H occluſa fuit cœlorum janua labſu*
*Adæ parentis noxij!*
*Plaudite mortales; reſerata eſt janua vitæ;*
Sub oſtio Chriſto *patet*
Portus; *habe, vitæ poſt tot diſcrimina, portum,*
*OTTO BOOSI, cœlicum.*

Mathias Ecſtormius
Hic Muſis amator eſt.

C*Arpe tui, moneo, veſtigia ſancta parentis,*
*Indole præclarâ prædite, magne puer.*
*Cultor ut Aönidum qvondam creſcentibus annis,*
*Hoc omen de te dicere jure qveat:*
Hic *Ecſtormiades* Muſis eſt *fidus* amator:
*Hinc procus illarum munera digna feret.*

Joannes Goertſer
O ingens arte heros!

I*Ngenij bonitas Görtſeride lucet in iſto,*
*Ætatis numerat qvi tria luſtra ſuæ.*
*Ingenium ſolers ſi confirmaverit uſus,*
O heros ingens arte *politus erit!*
Natura, ingenium, ſolers induſtria & uſus,
Præceptorq; bonus, qvid ſolidi efficiunt.

Andreas Schaverus
Deus carus: Ah ſanare!

SIDeus eſt carus, velut eſt, Patris optime fili,
Ah ſanare omni crimine, & aſtra coles!

Sigfridus Schaverus
Sis fidus, charus urge.

PArve puer, SIGFRIDE, Deo dilecte supremo,
Indubitata patris gloria, matris amor:
Sis fidus charusq́; tuis per tempora vitæ:
Poſt pietatis opes Muſica caſtra cole.
Perpetuò fidi veſtigia patris adora;
Qvi meus ingenuo pectore frater erit.
Nocte dieq́; ſacros urge cum laude labores;
Nec tuus in Domino ſudor inanis eat.
Qvi tibi cuncta dedit, rerum mirabilis auctrr,
Det vitam, ingenij lumine magnus eris.

Chriſtianus Schaverus
Hic charus, ſanus erit.

HIc charus puer ingenuo patre natus, Olympi
Numina dent, animo & corpore ſanus erit.

Gotefriedus Pflaumius
Fulgeto purâ fide, Muſis.

MAgne puer, dilecte Deo, dilecte Camênis,
Spes Charitum, patris gloria, matris amor:
Uſibus

*Uſibus ingenium feliciter excole crebris;*
*Qvod tibi concesſit non inamœna Sais.*
*Corporis ac mentis, ſortisq; vigentia dona*
*Sunt tibi, det vitam Numen, & omne dedit.*
*Nocte dieq; tui veſtigia patris adora;*
*Pieridum & fidei ſis melioris amans.*
*Tu* purâ fulgeto fide, Muſisq; *novenis;*
*Qvæ poterunt laudes perpetuare tuas.*
Omnia vaneſcunt, ſubitis obnoxia damnis:
Pieriſin virtus juncta perennis erit.
Pura Fides cœli rutilis nos inſerit aſtris;
Æternâq; pios vivere luce facit.

Aſcanius Pflaumius.
Pius cunis, laus, fama.

A*SCANII qvi nomen habes, puer optime, Muſis*
*Dedite,* PFLAUMIADE, *delicium Charitum:*
*Es* pius *à* cunis, *claro pietate parente,*
*Editus, atq; piæ munera matris habes.*
*Perge ſacram ſacris pietatem jungere Muſis:*
Qvi pius eſt, ſummis neſcit egere bonis.
*Non nocuisſe tibi poterit cum Dæmone mundus;*
*Irarum qvamvis Styx vibret atra globos.*
*Te Deus incolumem meliori ſorte coronet:*
*Proh dolor! immeritum me fera presſat hiems.*
*At Deus in melius fortunæ vertet iniqvæ*
*Fulmina: falſiloqvos perdet amara dies.*
*Ætatem ſuperi dent, qvi tibi cuncta dedêre:*
Laus *eris Aönij,* fama, *decusq; chori.*

Joannes Daſius
Jeſu ſana donis.

*DÆmonis inſidijs ſum perditus, optime* Jeſu,
Me ſana donis, *vulneribusq́; tuis.*
*Sic mihi ſanato, cum Dæmone, tartara, mundus,*
*Non poterunt ullâ fraude nocere mihi.*

Samuel Schultſius
Salus Muſis lucet.

*INgenioſe puer, matri dilecte, patriq́;,*
*Mi* SAMUEL, *ludi floſcule lecte mei:*
*Dum Deus ingenium tibi contulit, excole Muſas:*
*Nempe* ſalus Muſis lucet *amica bonis.*

Elias Gros
Oras, legis.

*INfantum ſermone Deus ſibi qværit amicos,*
*Et lingvæ laudem ſimplicis arte parat.*
*Belle puer,* GROSI, *Chriſti ſis nobile membrum;*
Oras, *& puero ſimplice digna* legis.
*Scilicet hæc prima eſt pietatis linea, niſu*
*Obſervare omni juſſa timenda* DEI.
*Hæc vigilanti animo perpendere, volvere, amare,*
*Et calidas omni fundere luce preces.*
*Proxima, ut uſq́; habeas dulces in honore parentes,*
*Hinc tibi mercedis provenit ampla ſeges.*
*Stamina nimirum diuturnæ proſpera vitæ,*
*Morigero ſpondet qvæ tibi dona Deus.*

*Gratt*

*Grata Deo ſuboles, matri dilecta, patriq́ʒ;*
*Lætitiæ columen grande futura ſeni.*
*Nocte dieq́ʒ Deum reverens ſinceriter* ora,
*Et* lege, *qvæ ſacris tradita cumqʒ libris.*
*Sic ſalve atqʒ vale, nec me obliviſcere; lingvæ*
*Qvem Furia Inſtrëis verbere ubiqʒ premit.*

Finis Libri 7. & ult. Plejadum Anagrammatiſticarum.

---

*Seqvitur libellus Anagrammatum Adoptivus.*

*I.*

Bart(h)olemæus Bilovius
Ob ſertum ſalve; ô jubila.

O *Lauri* ob ſertum, *fili cariſſime*, ſalve!
*Salve, gratificâ* jubila *voce ſona.*
*Magna fuit magni qvoniam clementia noſtri*
*Cæſaris, æterno tempore digna cani:*
*Qvòd tibi adhuc juveni Lauri de fronde corollam*
*Imponi juſſit: gloria magna fuit.*
*Orna igitur Laurum; poſthac ſic excole Muſas,*
*Gloria ſolius creſcat ut inde Dei.*

2.

Barptolemæus Bilovius
Io! Labor pius me ſublevat.

*Sim-*

*Sim licet exiguis opibus, ſim corpore parvo*
*Prœditus, & jaceam pulvere tectus humi:*
*Me tamen in Domino fidentem ſublevat ipſe*
*Chriſtus,* meq́ pius ſublevat *inde* labor.
*Ingenuas ARTES qvia dum colo carmina condens,*
*Fio prœclaris notus in orbe viris.*
*Hi qvandoq; mei rationem rurſus habebunt,*
*Hi me prœficient officioq́; pio.*
*Qvo piè & utiliter fungens ero notior inde,*
*Nominis inde mei fama perennis erit.*

Stephanus Bilovius Gardeleb.
Verbi divini apud Stendalios
ad D. Petrum Miniſter, filio
ſuo cariſſimo f. Anno 1596.

## *II.*

Bart(h)olemæus Bilovius
O bella Muſa! O tu virebis!

*Qvalis in Eurotœ ripis gratiſſima Phœbo*
*Stat Laurus trunci robore fixa ſolo;*
*Qvam non exurunt Phœbeœ lampadis ignes,*
*Nec cadit Icario langvida facta cane;*
*Illa ſed œternos oſtentans fraudis honores,*
*Semper odoratas explicat alta comas:*
*Talis eris vates viridantis munere Lauri,*
*Hœc tua dum triplici timpora fronde ligat.*
*Dum Sophiœ abſtruſas ſcrutaris gnaviter arteis,*
*Et geris excultum pectus ab Aöniſin:*

Tu bel-

Tu bella ô Muſa! ô *pariter Laurúq́;* virebis!
*E Muſâ & Lauru qvi viret, ille viret.*

Zacharias Friederich Regiomont.
March. J.U. D. & P.L. Conſil.
Palatinus Neoburgi.

*III.*

Barptolemæus Bilovius
Tu Muſæ olor es; Liba pubi.

*QVòd tibi Pierios penitùs cognoſcere fonteis,*
*Atq́; domos melicas ſcandere cura fuit;*
*Entheus hinc factus, medios olor inter olores*
*Concinis egregium voce ſonante melos.*
*Perge ita; (namq́;* olor es tu Muſæ, *& cantica* pubi
Liba; *ſtabit honos poſt qvoq́; fata tuus.*

Caſpar Conradus Vratisl. Ph. &
Med. D. & P. L.

*IV.*

Barptolemæus Bilovius, Comes Palatinus Cæſarius, P. L.
Ecce epulas à Muſis, Nobilis Poëta,
Labor tuus palmarius.

*ERgò Muſarum decus immortale, BILOVI,*
*Dignare me tuis polite verſibus!*
*Et dignare, meum terſo metagrammate nomen!*
*Verènè ſive amicè, tute videris.*

*Iſthoc*

*Iſthoc pro, qvo me dignaris honore, favore,*
*Magnæ tibi debentur à me gratiæ.*
*Dum tua digna cedro lego carmina, Cynthius aurem*
*Vellit, tibiq; me jubet ſic farier:*
Nobilis à Muſis epulas *has* ecce Poëta,
*Muſas ſapit* labor tuus palmarius.
*Sic te Chriſtus amet, favet ut tibi Phœbus, & omnis*
*Ut Pieris tibi ſerenet carmina.*
*Qvaliacunq; tibi mea mitto, polite BILOVI,*
*Stent hæc, tuo cadant arbitrio.*
*Cùm mihi vernaret circum præcordia ſangvis,*
*Nonnulla luſi neſcio qvo Apolline.*
*Jam verò niveos caput hoc imitatur olores,*
*Non cantibus, pilis ſed albicantibus.*
*Hoc an frondentem mereatur Daphnida, Phœbus,*
*Phœbiq; Myſta judicet BILOVIUS.*
*Perge favere mihi, vatum præluſtris ocelle,*
*Dum vixero, medullitùs te diligam.*
*Vive diu Muſis, fatis felicibus uſus,*
*Te Jova ſoſpitet, Muſis diu vale.*

M. Henricus Eckſtormius P. L.
Cæſ. in Monaſt. VValckenred.
Prior & Paſtor.

*V.*

Bartholomæus } Bilovius
Barptolomæus }

Vari-

Varios } humo biblos levat.
Viros à }

Poëſi multâ } urbe volabis."
Poëta ſimul }

*IPſa velut levis eſt biblos Memphitis, & ejus*
*Qvæ nunc obtinuit lintea charta locum,*
*Sic varios Muſisq; viros Phœboq; vacantes*
*A ſordente levat plena favoris humo:*
*Et volitare facit, ſolvi metuentibus alis*
*Per mundi varias, & ſuper aſtra, plagas.*
*Sic qvoq; cum terſâ tibi ſit mens culta Poëſi,*
*Ne dotes reliqvas, BARTHOLOMÆE, loqvar,*
*Non tantùm multâ, qvod jam facis, urbe volabis,*
*Ora per Aönij non moritura chori,*
*Sed bonus in multâ ſic urbe Poëta volabis,*
*Ut ſimul & toto talis in orbe voles.*

Johannes Adami Rűgenwald.
Pomer. Eccleſiæ Heppenheim.
Paſtor.

*V I.*

Barptolemæus Bilovius
Ibi uſu Maro! Bellus Poëta.

V*Is dicam, qvi ſis?* Ibi bellus *es arte* Poëta,
Uſu *permulto doctus itemq;* Maro.

M. Nicolaus Girmarus Utenbacenſis Tur. P. L. Eccleſiaſtes
Atsmansdorſinus.

*VII.*

Barptolemæus Bilovius C.P.

Bellum jubar, caput Poëſios.

ET bellum jubar & caput *eſt BILOVIUS, inqvâ, Inclutæ* Poëſios.

Johan. Pfeifer Paſtor Ilfeld.

*VIII.*

Barptholomæus Bilovius

Ha pio luſu ſubito laborem!

*TEmporibus duris qvia fers patienter amara;*
*Spes tua conſolans pectora, Chriſtus adeſt.*
*Roborat infirmum; labentem ſuſtinet; ægrum*
*Curat; & abs omni liberat ipſe malo.*
*Et tibi ceu luſum qvemvis dat ferre laborem:*
*Qvàm meritò; in Chriſto ſpem tibi, BILO, locas!*
Ha! *durum edurumq́; perennè* ſubito laborem;
*Qvem Chriſtus* luſu *ſic levat uſq;* pio.

Robertus Cameron Scot. Eq. & P. L.

*IX.*

Barptolemæus Bilovius

Vbi pios ullus amore beat?

*SI qvid adhuc pietatis habet mala terra, vel æqvi,*
*Dic,* beat ullus ubi *motus* amore pios?

M. Georgius Carolides à Carlſpergâ, Prag. Poëta L. Cæſ. Novæ Urbis Pragæ Notar.

Bar-

X.

Bartolemæus Bilovius
Labore Muſæ bis volvit.

*NOn ſubitò effutit, ceu verſificator ineptus,*
*In buccam qvidqvid ſponte ſubinde venit.*
*Sed potius* Muſæ bis volvit *cuncta* labore,
*In nonumq́ annum, qvæ relegenda, premit.*
*Hinc omen, Clio, cum nomine BARTOLEMÆUS*
*Obtinet, atq́ hortos curat amatq́ tuos.*

M. Laurentius Riſebergius
Symmyſta Gardelegenſis.

XI.

Bartholemæus Bilovius
Eho, Tibullus abis, Marove.

*Nablium Decapun*

M. Johannis Vincelbergij Semnonis, P. L.

*LAſcivientium balba puertia*
*Stribliginoſum non dubitat melos*
*Nunc edere.*
*Pruritus atq; iſthic Cacoëtheos*
*Vexat juvencos, ô BILO, plurimos,*
*Ut ſcribtitent.*
*Dictis abeſto injuria, qvam Attica*
*Qvondam vetabat lex Academiæ,*
*Et pulpita.*

*Nunc verticoſi vertere nominis*
*Senſus, lubido tam polydædalos*
*Ut perlubet,*
*Multis inhæſit ſeu nihil eruant,*
*Qvod laude dignum, ſeu malè, qvod volunt,*
*Extorqveant,*
*VERTUMNO abuſi Numine ſæpiùs.*
*Qvas tu myricas ſerpere humi ſinis,*
*O duplice*
*Ornate Lauru bacciferâ, BILO,*
*Bellos amores vidimus heic tuos,*
*Arctoaq;*
*Bellos amores Arx RHODOMELLULÆ*
*Mirata vidit tam lepidum genus,*
*Dignum bono*
*Biloniano carmine. Vidimus*
*Lycophroneum carminis & genus,*
*Qvod nixibus*
*Edit Bilonis nunc Rhodomellula,*
*Virgo ne dicam an facta maritula,*
*Qvæ melleam*
*Experta Cyprin ſit tibi, mi BILO,*
*Caſtam marito? non ſterilis tuus*
*Hic eſt torus.*
*Sin virgo nixa eſt hæc tibi, qvis virûm*
*Non obſtupeſcat, hæc viduum torum*
*Progignere?*
*Seu virgo, conjux ſeu Rhodomellula*
*Enixa carmen ſit, nec inelegans,*
*Caſta edidit,*

VERTUMNO amico, Numine proſpero.
Amplexibus te pluribus, ô BILO,
Virgunculæ,
Seu conjugis, miſce Rhodomellulæ:
Gravis monetæ plura uti carmina
(Quæ Vergilî
Severiori digna tubâ ſient,
Filo & Tibulli digna) det edita.
Sic dixerim:
Eho Tibullus dexter abis, BILO,
Marovè dexter: Vive diu, precor,
Et Plejades,
Precare, noſtræ (Carmina quæ mihi
Tam longa nubes ſupprimit hactenùs)
Poſt nubila
Lucis nitorem ſuccipiant levem,
Micamvè ſaltem, judice nec malo
Intermicent.

XII.

Barptolemæus Bilovius à Bilow
O lampas Lauru beo vivos, ubi libet!

PHœbæâ cunctas illuſtrat lampade terras
Aurora, ô lampas, BILOVI nobilis, hoc te
Non pigeat de te, pudeat nec dicere de te:
O Lauru vivos beo lampas, ubi libet, & cùm
Urget amor patriæ, decus ingeniumq́; virorum.
Uſq; bea Lauru vivos, Comes, uſq; virenti

*Salva creatori, luſtranti lampade multos,*
*Atq; creaturis, poſt funera, fama manebit.*

Qvirinus Heslingius Calenſis
Tyrigeta P. L. & Not. Publ. Cæſ.
Civis ac Poligraphus Arnſtet.

## XIII.

### Barptolemæus Bilovius
### Libo Muſis, aptè beo Laurû.

CÆSARIS *auſpicijs & Majeſtate* RODOLPHI,
*Qvi rerum potiens Romana guberna miniſtrat,*
Libo *ſacris* Muſis, aptè beo *virgine* Laurû.
*Optio namq; fuit viridi mihi ſemper ab ævo,*
*Laude Deum celebrare, viros celebrare merentes.*
*Et qvamvis totum deplere Helicona neqvivi,*
*Et minùs ablectis manat mihi verula metris;*
*Non tamen exiguæ deſit ſua gratia venæ:*
*Hinc Comes, hinc Civis Romanæ nuncupor Urbis,*
*Hinc Comitiva meæ eſt indulta licentia Muſæ;*
*Ut libare pijs poſſim cum laude Camênis,*
*Et vincire caput dignis Daphneide Lauru.*
*Si tamen ex illis, qvos Laurea noſtra coronat,*
*Eſt, ſibi qvi conſcit, minùs hoc ſe munere digum;*
*Nocturnâ verſare manu, verſare diurnâ,*
*Hoc jubeo vatum monumenta diſerta priorum,*
*Ut, ſibi qvod deſit, ſtudioſo ſarciat uſu,*
*Sin minùs, indignum norit ſe nomine vatis;*
*Atq; ſuo capiti minùs aptè hærere coronam.*

Plus

Plus labis, qvàm laudis habent inſignia Lauri,
Qvæ caput indignum, Muſis renuentibus, ornant.

Valens Cremcovius Gardeleb.
P. C. Gymnaſij Magdeb. Collega
ac Lector Poët. ac ad DD. Seb. &
Nicol. ibid. Eccleſiaſtes.

## XIIII.

### Barptolomæus Bilovius
### Vſu barbiti Apollo moves.

*ATtulit ad noſtras tua carmina nuper amicus*
*Optimus, ad cupidas carmina grata manus;*
*Atq; ait: En magnas è parvo corpore Muſas,*
*Dignaq; tum magno barbita Virgilio!*
*Lecta lego. Ingenium ô qvantum! Facundia qvanta!*
*Fertilis ut Phœbo divite vena fluit.*
*Ipſe qvidem movit blandi dulcedine fili*
*Orpheus olim homines, movit & ipſe feras:*
*Aſt ſolùm tu non hominesq; ferasq; ſed ipſos*
*Ipſe Deos* uſu barbiti Apollo moves.
Scilicet in magnâ non ſemper gratia mole eſt;
Nec faciunt magnos corpora, at ingenia.
*Nomina* BILOVI *qværis. Qvid nomina curæ*
*Sunt tibi? qvid ſeris tradere ſcripta rogis?*
*BILOVI, invitis laus acceſſura Poëtis,*
*Te manet invitum gloria, longa dies.*

M. Balthaſar Sezer/ P. L. Illu-
ſtris Dicaſterij in Curiâ Stetin.
Procurator.

XV.

Bartholemæus Bilovius, Poêta Laureatus Cæſareus

Tu Lauream habes à Cæſare, ô portus beatus! Illo vives.

*SAlve ô BILOVI doctiſſime, maxime Vatum*
*Princeps, ac Phœbi cor, ſubolesq; Deûm!*
*Laus noſtri nec non decus admirabile ſecli,*
*Atq; Palatinæ gloria magna Domûs.*
*Si calor ingenij eſt à Jovâ, à Cæſare Laurus,*
Tu *ingenium à Jovâ*, à Cæſare Lauream habes.
*Qvin vi Cæſariâ miranda Inſignia doctis.*
*Magnificus donas, qvi meruêre, viris.*
*Si pergis ſacro ſic indulgere labori,*
*Atq; Poëtarum cingere fronde comas;*
*Tunc immortales grates, ubicunq; licebit,*
*Pro tàm jucundo munere ſemper agent:*
O portus *Muſis* vives, *Jovæq;* beatus
*Hoſpes, ab* illo *ſpes pendet & alma ſalus.*

M. Johannes-Wernerus, Erf.
P. L. Pædagogij in M. Collegio Profeſſ. & ad Prædic, Gymnaſiarcha.

XVI.

Bartholomæus Bilovius
*per geminum Anagramma:*
Ob Muſas bello, vivo arti.
Io! Brabéum, laus ſit, volo.

*Sint*

*SInt mihi caſtra Scholæ, Muſæ ſint bella, at Apollo*
*Dux ſit militiæ, ſicq́ʒ ego miles ero.*
*Namqʒ* arti vivo, *me totum conſecro & arti,*
*Ars Jovæ, ars doctis ſemper amata viris.*
*Arma capesſo libens, modò ſit laus parta brabèum,*
*Tum pergam ob Clarias belligerare Deas.*

Vel brevius hoc modo:

OB Muſas bello, vivo arti, *ferte brabéum*
*Pierides, Phœbi dehinc qvoqʒ miles ero.*

*Aliud.*

Bart(h)olomæus Bilovius
Ob Laurum volo bis vates.

E*Xornat vates Laurus, vatesq́ʒ decori*
*Lauro, bis Muſas concelebrare ſolent.*
*Non etenim ſatis eſt, ſemel has cantasſe, ſed ipſas*
*Bis canere uſqʒ decet, ter canere uſqʒ decet.*
*Qviq́ʒ magis cantat, magis hanc tu Laure beabis,*
*Laure per Aönios ſplendor honosq́ʒ choros.*
Ob Laurum *ergo* volo bis vates, *tervè ſonantem*
*Tangere lætifico pollicè ritè lyram.*

*Brevius:*

OB Laurum volo bis vates: *bis carmine Laurum*
*Terq́ʒ canam: ſacri vatis id officium eſt.*

Joachimus Arnoldi Fridland.
Megap. Eccleſiaſtes Mitovienſis in Curlandiâ.

## XVII.

Barptolomæus Bilovius
Ibis ab arte polo? Volumus.

FAta cient ſortem, ſors mentem, mens ſed abortus
Sæpe ſuos doctâ vincere in arte poteſt.
Abnegat ut fortuna bonum, vexantq́ procellæ
Sortis, at in ſtudijs mens ſapienter ovat.
Artis amator agens hoc ipſum, non ebur aurum,
Aut qvo Diva bono cœca beare ſolet,
Dulcius exoptat qvid doctus Apolline vates,
Ne careat ſtudijs mens benè cœpta ſuis.
Hinc ſe Dijs ſuperis ſentit miſcerier olim,
Atq; ſuo digito poſſe ferire polum.
Qvæ tua, BILOVI, fortunæ munera? parvæ:
Sanè, ſi ſortem ſorte putare velis:
Et tamen eximiâ ſpe poſſim vincere certas,
Qva-fortuna tibi-cunq; noverca ſtruit.
Non auro, Attalicisve bonis, non robore frontis,
Aut qvas divitijs, cerdo ſuperbus avet.
Docta tibi cordi eſt Muſarum cura ſonorum,
Carmen, & ingenij fronde valere ſacrâ.
Qvid verò, nec ob id Stygiâ cohibeberis undâ,
Hac magè ſed lætans ibis ab arte polo.
Reſponſas, volumus, ſpe certâ nitimur artis,
Qvamvis fama famem penè ſimumq́; trahat.
Velle tuum bellum eſt, doctis inſiſtere cœptis
Perge, nec incasſum vota petita cadent.

Qvem

*Qvem deamant Muſæ, terris non uſq; moratur,*
*Sidera at erecto vertice lætus adit.*
*Muſæ verus honor, Qvin tandem Muſa triumphat,*
*Nomen & illuſtri laude perenne parat.*

M. Michaël Mollerus Franco-
furranus March. Scholæ pa-
triæ olim Rector.

*XVIII.*

Nomen Dn. Bartholomæi Bylovii, ſervatis genuinis literis, at trajectis, in Symbolum:

Thymus labori: AEvo bolus.

*SIcut api thymus eſt ſolamen dulce laborum,*
*Dum thymini mellis munera grata legit,*
*Sicut & agricolis in agro ſudantibus, ævi*
*Delicium eſt boli ſufficientis olus:*
*Sic* Thymus *haût unqvam deſit paſtusq;* labori,
*Aſſiduè Muſâ qvem famulante capis:*
*Sic & felici (precor) haût* ἐπιϛόσιος Ævo
*Deficiat* bolus *nectariæ ambroſiæ.*

M. Andreas Heltwigius Fridland.
Megalop. P.L. Scholæ Gryphis-
vvald. ProR.

*XIX.*

Bartholemæus Bilovius
Ohe lætus ob Laurum ibis!

*Q 5* *Dixe-*

DIxerat ingreſſus Pragam BILOVIUS: Iſthic
Qvi nobis faveat, rarus amicus erit.
Omen erat verbis. Hunc dum compellat & illum,
Qvisq;, qvid objiciat relligionis, habet.
Hinc didens animum in parteis BILOVIUS: ergo
Omen in ingreſſu volvo qvod, inqvit, erat.
Mox aliud melior ſvadet vis mentis, ad aulam
Cæſariam ducant qvæ-modò-cunq;, parat.
Nec qvoq; poſterior mentem ſententia fallit,
Ob Laurum, Cæſar, lætus abibis, ait.

M. Fridericus Trojanus Calliſinus NeoMarch. P. L. Scholæ Stargard. ad Inum ProR.

XX.

Bartholomæus Bilovius Stendalienſis PalæoMarchicus Poëta Laureatus Imperialis

Rudolphus Lauro tempora honeſtat:
abi; cane piè. Lyram vis, ſume tibi:
O ſic laus eas illæſa!

AUrea præſtantes viderunt ſæcla Poëtas,
Noſtra nec eſt ætas vatibus orba ſuis.
Tu qvorum minimus non es, præclare BILOVI,
Id qvod Cæſariæ teſtificantur opes:
Dum tua divinus Rudolphus tempora honeſtat
Lauro, qvâ verus ſignificatur honos.
His qvi te verbis Pragæ dignatus amicis,
In patrium Sponſâ te revocante ſolum.

Lauri

*Lætus* abi, *præclara* piè cane *facta virorum*,
*Hanc ſi fortè* Lyram vis, *age*, ſume tibi.
*Tutus* eas *à multicrepis, me vindice, veſpis:*
O ſic illæſa *es* laus, *patriæq́ꝫ decus*,

M. Balthaſar Exnerus Hirſchberg. Sil. P. L.

## XXI.

### Barptolemæus Bilovius
### Vive Muſâ: Polles barbito.

S*I mibi non vitæ planè plenèq́ꝫ fuisſent,*
*Artes* BILOVI *metricæ:*
*Attamen ex ſenſu, mihi qvem metagramma tuipte*
*Dat utriusqꝫ nominis,*
*Conjicerem, magni te nomine vatis honore*
*Vænire non injuriâ.*
*Namqꝫ tibi vati memorat Daphnæus Apollo:*
*Turbæ novenæ propater.*
Muſâ vive *tuâ, vivesq́ꝫ deinde, fovebit*
*Artus calor donec tuos.*
*Plaudo & laudo Dei Clarij præſigne proſatum,*
*Addoqꝫ talem clauſulam:*
*BILOVI celebris Comes Antiſtesq́ꝫ PalatI,*
Polles *canorâ* barbito.
*Utq́ꝫ tuâ longùm Muſâ ſic vivere posſis,*
*Pollere nec non barbito.*
*Supplicijs cœlos onerabo tempore noctis,*
*Interdiuq́ꝫ ſedulis.*

*Interea*

*Inter ea flore, polleq́ꝫ ſubinde, BILOVI,*
*Sacri Comes Palatij.*

M. Georgius Theodoricus Wurcenſis Myſius, P. L.

## XXII.

Barptolemæus Bilovius
Tolle moras, pube juvabis.

*DUm juvat Aönio contexere laurea nexu*
*Serta, qvibus noſtro tempore Muſa favet,*
*Pieriosq́ꝫ novis hortos plantare Camænis,*
*Inq́ꝫ Poëtarum delituiſſe choro.*
*Qvos tulit iſta dies varijs obducta tenebris,*
*Carmina dum cædes inter & arma ſilent.*
*Laudo, decus; pariter nobis commune ſeqventem,*
*Sint precor & votis fata benigna tuis.*
*Nam qvamvis vatem dici nihil orbe videtur,*
*Qvi turpi vates improbat ore ſacros.*
*Gloria certa tamen duris enata laborum*
*Sentibus, ac odijs inviolata, viget.*
*Hæc qvæ jam ſolito plus exagitata recumbens,*
*Indocto viſa eſt interijſſe gregi.*
*Applauſu cœptis gratamur ovante, BILOVI*
*Docte, tuis, Clarij maxime cultor agri,*
